A. RUKŠA

DE VOCIBUS VULGARIBUS,

QUAE INVENIUNTUR IN APOSTOLORUM EPISTOLIS, QUAE QUIDEM SUNT LITTERARUM SACRARUM EDITIONIS VULGATAE

CAUNAE * MCMXXXIX

DE VOCIBUS VULGARIBUS, QUAE INVENIUNTUR IN APOSTOLORUM EPISTOLIS, QUAE QUIDEM SUNT LITTERARUM SACRARUM EDITIONIS VULGATAE

DISSERTATIO,

quam ad summos philosophiae honores ab amplissimo philosophorum Vindobonensium ordine rite capessendos scripsit

ANTONIUS RUKŠA

CAUNAE * MCMXXXIX

Haec dissertatio ab ordinariis professoribus Universitatis Litterarum Vindobonensis Doctore Carolo Mrasio et Doctore Ludovico Radermacherio anno MCMXXXV approbata laudataque est.

TIRAŽAS —

500 egz.

IŠLEIDO —

Autorius.

SPAUDĖ —

J. Kuznickio ir L. Beilio sp., Kaune.

CONSPECTUS

PRAEFATIO.

Hoc in opusculo tantummodo de vulgaribus nominibus substantivis, adiectivis et verbis agitur. Huc rettuli etiam adverbia, nam plurima illorum ab adiectivis derivata sunt et omnino multarum rerum est inter illa vocabula communitas. Cetera vocabula, ne longius meum laborem producerem, admodum praeterii.

Priusquam ad vulgaris sermonis voces tractandas aggrediar, aliquid dicendum est de ipso sermone vulgari, nam viri docti illa notione terminanda dissoni sunt. W. Kroll (Museum Rhenanum Nr. 52. p. 572.) docet: Haud ambigue confirmandum est verum vulgarem sermonem in eo versari, quod non scriptus, sed verbis enuntiatus sit. Etiam Hofmann eandem notionem determinans de loquendo et scribendo disserit,[1]) usitatum sermonis genus et sermonem accuratum ac politum, quo in scriptis utuntur, inter se conferens. Ille discernit tria communis sermonis genera: sermonem familiarem, qui eruditorum hominum erat, sermonem vulgarem, quo vulgo secundum communem loquendi consuetudinem utebantur, et sermonem plebeium, qui apud plebem in usu erat.

Sunt viri docti, qui etiam aliter usitatum sermonis genus dispertiant. Nonnulli et urbanum et rusticum sermonem discernunt. Ante Plautum et urbanus et rusticus sermo non multum inter se differebant. Secundo et primo ante Christum natum saeculo sermo, quo utebantur urbani, iam differebat ab illo, quo plebs et rustici loquebantur. Illa differentia tam insignis fuit, ut iam ab iis, qui loquebantur, sentiretur: Cic. epist. 9. 21. 1. Verumtamen quid tibi ego in epistolis videor? nonne

---

[1]) Hofmann. De Latino sermone vulgari: Praefatio 1. De loquendo et scribendo (p. 1.).

plebeio sermone agere tecum? Nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio aut contioni? epistolas vero quotidianis verbis texere solemus. Quamquam aliis nominibus, tamen de duobus tantum sermonis generibus etiam alio Ciceronis loco agitur: id. de orat. 3. 12. Sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere ut ille, quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter. Apud Quintilianum similiter de duobus sermonis generibus agitur: Quint. 6. 3. 17. urbanitas dicitur: qua quidem significari video sermonem praeferentem in verbis et sono et usu proprium quendam gustum Urbis, et sumtam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem; denique, cui contraria sit rusticitas. Per se tamen sermo plebeius aut rusticus non est inferior, quam sermo urbanus. Illa duo linguae genera in prisca Latinitate altissimis radicibus defixa sunt.[1])

Re vera tamen non solum illa duo, sed multo plura sermonis genera discernere possumus. Praeter tria genera, de quibus Hofmann mentionem fecit, fuit etiam sermo castrensis, sermo nauticus, inter fures usitatum sermonis genus et nonnulla alia, quae proprie rustici vel plebeii sermonis sunt. Huc accedit etiam illa determinandae notionis difficultas, quod sermo cum tempore, tum regione variat. Usitatum sermonis genus quamquam non tam prompte ac sermo accuratus ac politus, quo in scriptis utuntur, tamen assidue mutabatur. In ipsa Italia multa linguae genera fuerunt. Etiam Titinii temporibus non in omnibus Italiae regionibus Latine sciebant. Apud Festum in pagina 188. (de Opici verbo) legitur: Titinius: „Obsce et Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt". Quamquam diversorum linguae generum Italiae differentia paulatim minuebatur, translatus tamen in Romani imperii provincias sermo Latinus ita magis magisque variabat, ut ex uno Latino sermone in diversis Romani imperii regionibus multae noviciae linguae factae sint.

Liceat tamen nos una cum Löfstedtio (Peregrinatio Aetheriae p. 8. sq.) illa praeclara F. Marxii[2]) repetere, quae vulgaris sermonis notionem etiam aliter determinant: „Sed iuxta limatius et diligenter ad regulam exaequatum dicendi genus eorum,

---

[1]) Rebling, p. 9.

[2]) Novi annales antiquitatum Graecorum et Romanorum. 1909 p. 435. Quae ratio priscae cum posteriore Latinitate habetur.

qui tunc principes erant, crescit non dinumerandis neque terminandis gradibus a summo ad imum usitatum sermonis genus. Quo in genere cum priscus, tum etiam novissimus linguae thesaurus, negligens grammatistarum artis et conservatus et posteritati traditus est... Singulas tantum res, vulgaris sermonis praecipuas et proprias, ostendere possumus. Litteras vero, quae illis proprietatibus abundant, vulgaris sermonis monumentum appellemus. Ut tamen illae sermonis proprietates etiam apud probatissimos scriptorum indicari possunt, ita contra politior ratio dicendi litterarum principum cloacis aliquibus usque ad infimam plebem progressa est... Propterea absunt aliquae litterae, quae aut vulgaris sermonis proprietatibus admodum careant, aut omnino puri sermonis vulgaris monumentum sint. Etiam malae scriptionis parietum humillima sententia auctor, qui verbis publicis utebatur, non admodum a litteris alienus fuit. Ille non erat infinitae multitudinis hominum, litterarum admodum insciae et rudis, nam litteras sciebat. Litteras autem scire non unusquisque solebat.“

Magni momenti est quod Löfstedt in Peregrinatione Aetheriae in pagina 8. docet: Vulgaris sermo intelligendus est non ille, quo rude vulgus loquebatur et de quo minime scimus, sed multo magis illud scribendi genus vel genera, quae ab usitato sermonis genere minus differunt, quam ab artibus et traditione elaborato scribendi genere. Löfstedtii sententia sermo vulgaris non est ille sermo, quo re vera vulgus utebatur, ut W. Kroll docet, sed liberius atque solutius orationis genus.

Quamquam viri docti determinanda vulgaris sermonis notione dissoni sunt, re tamen vera illa determinandi differentia tantum nominis, non rei est. Sermo vulgaris per se est quasi corruptum orationis genus, quod optimorum scriptorum orationi accuratae ac politae opponi potest. Vulgaris sermonis notio nobis tantum operis ordinandi est.

Nunc progrediamur ad cognoscendum, ex quo aliqua vulgaris sermonis vestigia peti possint. Purissimus sermo vulgaris invenitur in sermonibus alternis comoediae antiquae, praesertim in Plauti comoediis. Terentius est poeta optimae societatis et opponitur Plauto, cuius scribendi genus minime differebat a sermone quotidiano, quod etiam Cicero nobis refert: Cic. de orat. 45. Equidem cum audio socrum meam Laeliam, — facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod

multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt; — sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire.

In sermone quotidiano saepe denuo in conspectum veniunt voces, quae in litteris iam ab usu remotae erant. De uno ex illis vocibus e Gellio cognoscimus: Gell. 19. 10. 5. Tum Fronto... aspiciens ad eum amicum, qui dixerat, alia quinquaginta esse necessaria praeterpropter, eum interrogavit, quid significaret verbum „praeterpropter". Atque ille amicus: „non meum", inquit, „hoc verbum est, sed multorum hominum, quos loquentis id audias; quid autem id verbum significet, non ex me, sed ex grammatico quaerendum est". Et paulo post: Tum grammaticus usitati pervulgatique verbi obscuritate motus... „Nam nescio quid hoc praenimis plebeium est". Quamquam Frontonis temporibus illa vox iam obsolevit, superiore tamen aetate, quod infra videatur, in litteris magno in usu fuit: Id. 19. 10. 10. At enim Fronto... „itane", inquit, „magister, dehonestum tibi deculpatumque hoc verbum videtur, quo et M. Cato et M. Varro et pleraque aetas superior, ut necessario et Latino usi sunt?" Atque ibi Julius Celsinus admonuit, in tragoedia quoque Enni, quae Iphigenia inscripta est, id ipsum, de quo quaerebatur, scriptum esse et a grammaticis contaminari magis solitum quam enarrari.

Non tam pura et immixta usitati sermonis elementa in epistolarum sermone inveniuntur, quin etiam cum ad amicissimos homines accomodantur et praecipue de cotidianis rebus agitur. Nobis magni momenti sunt Ciceronis epistolae, praesertim ad eius amicum Atticum, quarum sermonem familiarem ipse auctor agnoscit: Cic. ep. 1. 9. 1. Itaque propter hanc dubitationem meam, brevior haec ipsa epistola est, quod, cum incertus essem, ubi esses, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus devenire.

Praeter antiquissimas comoedias et epistolas aliquae cotidiani sermonis reliquiae inveniuntur etiam apud saturarum scriptores: Lucilium, Horatium, Persium, Iuvenalem, imprimis apud Petronium, cuius libertinorum sermo cotidianus nullam fere artem habet. Praeterea notatu dignae sunt etiam Senecae declamationum sententiae. Aliquid praebent etiam poetae, praesertim Catullus, Phaedrus, Martialis. Etiam bonae aetatis poetae usi sunt multis insolitis et ex sermone cotidiano sumptis

vocibus, quae in oratione soluta tantum inde a posterioris temporis scriptoribus leguntur. Hoc admodum non est mirandum, nam etiam bona aetate aliqua licentia concessa est poetis, qui, ut Cicero docet, alio more loquuntur: Cic. de orat. 2. 14. sub fin. poetas omnino quasi alia quadam lingua locutos non conor attingere.

Nonnullae voces, quae aliquot saecula apparere desierant, apud iurisconsultos denuo in conspectum venerunt. Dubium non est, quin obsoletae voces apud iurisconsultos ex sermone cotidiano sumptae sint, quo facilius intelligantur a vulgo, ad cuius usum illorum opera destinata sunt.

Multa praeterea vulgaris sermonis, etiam antiquissimi, elementa in linguis noviciis e lingua Latina ortis etiam nunc in occulto sunt. Illae noviciae linguae sunt subsidium insigne ad explorandum Latinum sermonem, nam ortae sunt non ex sermone accurato ac polito, quo in scriptis utuntur, sed ex cotidiano.

Sermoni cotidiano vel, ut verius dicam, corrupto orationis generi opponendum est scribendi genus Caesaris et Ciceronis, illorum Latinitatis auctorum, qui et Latine et Graece docte eruditi erant. Purissimi sermonis litterae sunt Casaris, praesertim illius belli Gallici commentarii. Ipse Caesar in primo de analogia libro insolentes atque inauditas voces in usu versari vetat: Gell 1. 10. 4. id, quod a C. Caesare, excellentis ingenii ac prudentiae viro, in primo de analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum. Sunt tamen aliqua vestigia, quibus apparet etiam Caesaris sermonem aliquas vulgares proprietates habere. Ipse enim semel est usus adiectivo „detrimentosus“, quod non solum aut apud eum aut apud alios eiusdem aetatis scriptores, sed omnino in litteris Latinis non legitur: id Bell. Gall. VII. 33. 1. Caesar etsi a bello atque hoste discedere detrimentosum esse existimabat. Praeterea apud Caesarem nonnullae voces e sermone castrensi sumptae leguntur, velut verbum materiari, quod similiter tantummodo semel apud eum legitur (Bell. Gall. VII. 73. 1).

Ciceronis sermo iam non tam purus quam Caesaris fuit. Tamen etiam ille omnibus viribus contendebat lingua Latina caste pureque uti: Id. de orat. 3. 44. Quare cum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offen-

di, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur, neque solam rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. Liceat nos illud Hellmuthii[1]) referre: Itaque et est et habetur emendator ac corrector linguae Latinae omnibusque temporibus tamquam exemplar propositus est ad imitandum. Cicero non solum apud posteriores, sed etiam apud antiquos probatissimus scriptor existimabatur: Tacitus dial. 22. primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et compositioni artem. Quint. 10. 1. 112. Apud posteros vero id confectus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur. Iam antiqui illum immortalitatem assecutum esse suspicabantur[2]). Quamquam Cicero maxime eruditorum hominum opinioni arridebat, tamen etiam illius opera longe non omnia pariter probanda sunt. Illius epistolae, de quibus supra commemoravimus, abundantissimae vulgaris sermonis proprietatibus sunt. Litterarum ad philosophiam pertinentium et rhetoricarum sermo minus accurate elaboratus quam orationum est. In rhetoricis et ad philosophiam pertinentibus scriptis (rep. 3. 28, inv. 2. 2.) legitur antisto, cuius in locum in orationibus praesto venit. In litteris rhetoricis in usu fuerunt adiectiva comparabilis, ignorabilis, quae in orationibus ab usu remota sunt. Etiam orationum sermo variat. Etiam antiqui, quod discrimen inter priores et posteriores orationes sit, sentire videbantur: Tacit. dial. 22. in iis orationibus, quas senior iam et iuxta finem vitae composuit, id est, postquam magis profecerat usuque et experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus esset. Nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis. Nonnulla vocabula in prioribus orationibus adhibita in posterioribus iam in

1) Hellmuth. Priorum Ciceornis orationum sermo. Acta seminarii philologici Erlangensis. I. p. 102.

2) Velletus Paterculus vaticinatur: Id. 2. 66. 4. famam vero gloriamque factorum atque dictorum (Ciceronis) adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem saeculorum memoriam; et paulo post: omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur... citiusque e mundo genus hominum quam (Ciceronis gloria e memoria hominum unquam) cedet. Et Asinius Pollio in eadem cum Velleio sententia fuit: Sen. suas. 6. 24. Asinius Pollio: „Huius ergo viri tot tantisque operibus mansuris in omne aevum praedicare de ingenio atque industria supervaccum est".

usu esse desierunt: absumo legitur in oratione pro Quinctio (34), in ceteris abest; in eadem tantum oratione (93) transfugio exstat, serius autem in illius verbi locum perfugio venit. De Ciceronis verborum suppellectili idem dicendum est, quod Norden (De antiquorum oratione ad artem redacta. I. p. 189.) de universis litteris Latinis dixit: illo temporis spatio, quo oratio accurata ac polita absolutionem perfectionemque formae adepta est, verborum suppellectili minime copiosa fuit.

Hofmann[1]) in vocabulis vulgaribus eligendis se non posse omnia ad locos referre fatetur et aliam vulgarium vocum discernendarum rationem delegit, quia sermonis Latini differentiae recognosci non possint. Vulgares voces esse illas, quae familiaris sermonis propriae sint. Hofmann omne studium in vocibus gravioribus posuit. Cum Hofmannio consentiendum est posterioris temporis scriptores adhibuisse multas e sermone cotidiano sumptas graviores voces, quae in leviorum locum venerunt. Tamen sermonem familiarem recognoscere difficillimum est, nam illo nunc iam non utuntur homines. Propterea linguam vulgarem una cum Löfstedtio et aliis viris doctis potius quoddam corruptum orationis genus putemus. Illa corrupti generis oratio tamen non solum in verbis gravioribus posita est. Praecipue id valet de ecclesiasticorum lingua vulgari, quae multis vocibus ad exprimendas notiones ad cultum pertinentes abundat. His de causis ausus sum a Hofmannio contemptam rationem deligere, magni momenti esse putans, quos apud scriptores atque quo in loco disserendum vocabulum legatur. Huc accessit etiam illud Nordenii[2]): Dici potest; aut vulgare est, aut auctoritate omnium vel quorundam e viris doctis improbatur, quod Cicero aut omnino vitat aut in prioribus tantum litteris vel epistolis adhibet, at contra alii eodem utuntur. His Nordenii verbis innixus, praeterea etiam Caesaris sermonem purissimum ducens, probanda putavi et illa, quae Cicero in suis litteris, praesertim melius elaboratis, adhibet, et illa, quae Caesar approbat.

*

*   *

Post Augusti aetatem sermo scriptorum magis magisque discedebat ab illo, quo Latinitatis auctores usi sunt. Quamquam

1) De Latino sermone cotidiano, p. 4. sq.

2) De antiquorum oratione ad artem redacta, I. p. 190.

nonnulli posterioris temporis scriptorum operam dabant, ut orationem suam ad recta exempla fingerent, tamen propter illius temporis omnino depravatam loquendi consuetudinem etiam illorum oratio plus minusve corrupti generis fuit. Neglectis dicendi legibus in sermonem accuratum ac politum, quo in scriptis utuntur, multa usitati sermonis elementa penetrabant. Praeterea religio Christiana magnam vim habuit ad nova sermonis elementa inferenda. Per haec elementa etiam quasi proprius usus loquendi ecclesiasticorum formatus est.

Nonnulli viri docti proprium usum loquendi ecclesiasticorum omnino non esse putant. Sic docet F. J. Dölger[1]): Sciendum nobis est Christianos inter ethnicos versari et illorum sermone fari, etiam ipsas Litteras Sacras Novi Testamenti nullo proprio sermone usas esse. Nos autem magis consentiamus cum illis viris doctis, qui esse quendam ecclesiasticorum sermonem confirment. Quamquam forma et quasi naturalis nota Christianorum sermonis eadem atque ethnicorum, et sermonis ecclesiastici usus eisdem loquendi legibus subiectus est, sunt tamen quaedam elementa, quae sine religione Christiana admodum non exstiterint. Quanto magis Christiani religione nova ducebantur et regebantur, tanto magis magisque nova sermonis elementa et in cotidiano sermone et apud scriptores crescebant.

Differentia religionis et rerum naturae contemplationis ad proprium ecclesiasticorum sermonem formandum magni momenti fuit. In litteris et disciplinis omnibus et Christiani et ethnici valde inter se discedebant. Dogmata ac doctrina Christi stabilitate et constantia opponebantur disciplinis ethnicis, de quibus Tertullianus (spect. 8.) dicit: Totum saeculum satanas et angeli eius repleverunt. Philosophus apud Tertullianum Christiano opponitur, tamquam Graeciae discipulus caeli discipulo. Etiam artes ingenuae plane repudiabantur: Tert. idol. 3. At ubi artifices statuarum et imaginum et omnis generis simulacrorum diabolus saeculo intulit, rude illud negotium humanae calamitatis et nomen de idolis consecutum est et profectum. Exinde iam caput facta est idololatriae ars omnis quae idolum quoquomodo edit. Litterarum disciplinae propter necessitatem iam non tam severe existimabantur: Tert. idol. 10. videamus

---

1) St. W. J. Teeuwen. De vocum significatione mutanda apud Tertullianum, p. XIII.

igitur necessitatem litteratoriae eruditionis, respiciamus ex parte eam admitti (non) posse, ex parte vitari. Fideles magis discere quam docere litteras capit.

In communi tamen rerum usu, in rebus publicis Christiani ethnicos non fugiebant. Hic enim maxime increbruit cultus Christianus, qui initio suos aemulos inter infimo loco natos homines inveniebat. Propterea et litterae ecclesiasticorum, praesertim superioris temporis, vulgo destinatae sunt. Sacerdotes ad Italae exemplum orationem suam saepe „ad populum“ habuerunt. Ne miremur igitur sermonem ecclesiasticorum etiam magis quam eiusdem temporis ethnicorum scriptorum voces vulgares adamasse. Ex ecclesiasticorum verbis novatis plurima e lingua vulgari nata sunt, eo magis quod sermo cotidianus multo mollior quam partim elaboratus sermo urbanus erat. Vulgus lavacrum pro baptismate usurpabat; innixus Litterarum Sacrarum voce πονηρός pro diaboli vocabulo et maligni et mali vocem usurpare conatus est. Illae vulgares voces praeclare veterrimis vocibus cohaerent, nam sermo vulgaris magna ex parte quibusdam radicibus antiquissimae linguae Latinae nititur. Posterioris temporis non solum ecclesiastici, sed etiam ethnici scriptores, praesertim Apuleius, Fronto, Gellius, illi antiquae loquendi rationi favebant. Non mirandum propterea nobis est orationem ecclesiasticorum saepe ad antiquissimum sermonem revolutam esse, eo magis quod usus loquendi ecclesiasticorum, ut omnino sermo ad sacra pertinens, per se iam vetustatis studiosus erat.

Etiam alia res ad ecclesiasticorum usum loquendi formandum magnam vim habuit. Lingua Graeca in ecclesia Christiana usque ad secundi saeculi exitum publica fuit. Nonnullae Graecae voces iam antiquissimis temporibus in sermonem Latinum translatae sunt. Scriptores Latini tamen, praesertim bonae aetatis, illas defugiebant. Notatu dignum est illud Ciceronis: id. Tusc. 1. 15. scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere, quam in Graeco Latine. Post primum ante Christum natum saeculum Graecae voces in linguam Latinam magis magisque penetrabant. Initio Christianorum temporis illa consuetudo etiam insignior fuit. Lingua Latina ad exprimendas novae religionis notiones non semper extemplo aptam vocem offerre potuit. In lingua Latina enim apta vox aut omnino abfuit, aut propter ethnicam rationem contemnenda fuit,

aut non idem valuit, aut denique fingi non potuit, nam Latinus sermo ad duplicanda verba difficilior quam Graecus fuit, quod etiam Latini scriptores fatentur: Liv. 27. 11. 4. et Sinuessae natum ambiguo inter marem ac feminam sexu infantem: quos androgynos volgus, ut pleraque, faciliore ad duplicanda verba Graeco sermone, appellat. Etiam Quintilianus de verbis iungendis disserens docet: Quint. 1. 5. 70. Sed res tota magis Graecos decet, nobis minus succedit.

Hae difficultates multum valuerunt in Litteris Sacris transferendis. Doctrina Christiana tamen prius praedicata erat, quam ecclesiastici scriptores suas litteras scribere coeperunt. Qui evangelium praedicabant, ut intelligerentur, multas Latinas voces adhibere coacti sunt. At contra in ipsum sermonem cotidianum Christianorum receptae sunt multae ad Christianam doctrinam pertinentes voces Graecae, quibus etiam scriptores ecclesiastici nihil paventes civitatem Latinam donaverunt. Idem dici potest etiam de Litteris Sacris, quarum omnes codices verbis Graecis abundant. In prioribus tamen codicibus Graecae voces magis vitatae sunt quam in posterioribus. Priorum codicum Graecae voces maxima ex parte sunt illae, quae etiam in sermonem cotidianum receptae erant.

Hic agitur tantum de Litteris Sacris vulgatae editionis, quarum una in parte Hieronymus immutatam Italam reliquit (huc spectant ambo libri Machabaeorum, liber sapientiae, ecclesiasticus, liber Baruch), in alia Italam retractavit (totum Testamentum Novum et psalterium, Gallicanum vocatum), in tertia ex exemplis Hebraicis ceteram Litterarum Sacrarum partem sua sponte transtulit. Pluribus vulgaris sermonis proprietatibus abundant eae Litterarum Sacrarum partes, quae minus elaboratae sunt ab Hieronymo, eruditissimo quarti saeculi viro. Ille multos Latinos scriptores, etiam optimos, legit. Praeterea hic scriptor omnibus viribus contendebat, ut optimorum scriptorum scribendi genus sequeretur. Hoc patet de cetero ex ea re, quod etiam ethnicarum fabularum nomina in Testamento Vetere adhibet: Isaias 13. 22. Et respondebunt ibi ululae in aedibus eius, et sirenes in delubris voluptatis fauni. Ier. 50. 39. habitabunt dracones cum faunis sicariis. Ezech. 8. 14. et ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem. Ne miremur igitur Hieronymum in translata a se Litterarum Sacrarum parte usum esse optimatum vocabulo, quod proprium Romanum est.

3. reg. 21. 8. et misit ad maiores natu, et optimates; 3. reg. 21. 11. Fecerunt ergo cives eius maiores natu, et optimates. Eandem notionem in prima et secunda Vulgatae parte adiectivo nobilis exprimit.

Corruptus tamen quarti saeculi sermo vehementer pertinuit ad omnium scriptorum orationem. Praeterea Italae sermo omnino magnam vim habuit ad ecclesiasticorum scribendi genus. Ne miremur igitur, si multas corrupti sermonis proprietates etiam in translata a Hieronymo Vulgatae parte inveniamus. Multo vulgarior sermo sperandus est in retractata ab illo Litterarum Sacrarum parte, quo spectant nostrae apostolorum epistolae, de quarum vulgaris sermonis vocibus videatur infra.

A. DE NOMINIBUS SUBSTANTIVIS.

a) De nominibus substantivis, quae inde ab ecclesiasticorum tempore in conspectum venerunt.

1. De substantivis derivativis in -a exeuntibus.

In -tura exeuntia derivativa substantiva, Goelzerii sententia (De Hieronymi Latinitate p. 88.), apud bonos scriptores raro leguntur. Tantum Plinius Maior plura in easdem litteras exeuntia substantiva finxit.

Derivativa autem substantiva in -ela exitum habentia, ut Goelzer putat (De Hieronymi Latinitate p. 90.), cum superiore, tum etiam posteriore aetate formabantur. Reblingii tamen sententia (De Romanorum sermonis usitati specie quaerenda p. 13.), quae etiam mihi rectior videtur, ille exitus ex antiquissimo sermone ortus est. Sunt quidem in easdem litteras exeuntium substantivorum aliqua vestigia etiam in optimorum scriptorum oratione soluta, velut custodelae vocabulum, quod etiam apud Ciceronem legitur, tamen multo plura similiter cadentia vocabula invenire possumus aut apud Plautum aut apud posterioris temporis scriptores, praesertim vulgaris sermonis proprietatibus abundantiores. Apud Plautum aliquoties legitur custodelae vocabulum, alia custodiae vocis forma, quae serius non usurpabatur, nisi in sermone cotidiano et modo apud Apuleium et iurisconsultos denuo in conspectum venit: Plaut. Capt. 457. ne quoquam pedem Ecferat sine custodela. Etiam suadela exstat apud Plautum, Apuleium et Horatium, apud quem tantum divina specie induta. Turbela legitur apud Plautum, Apuleium, ecclesiasticos, sutela tantum apud Plautum, cautela semel apud Plautum, dubio tamen loco, praeterea apud Apuleium, iuris-

consultos, saepissime apud ecclesiasticos, medela tantum apud posterioris temporis scriptores (cf. Quintilianum, Apuleium, Gellium), fugela apud Catonem et Apuleium, nitela apud Plinium Maiorem, Martialem, Apuleium, luela apud Lucretium.
C r e a t u r a, - a e.

Rom. 1. 20. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Ibid. 1. 25. servierunt creaturae, potius quam Creatori. Ibid. 8. 39. Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei. Gal. 6. 15. In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura. Etiam 1. Petr. 2. 13. et alibi frequenter.

Creaturae vocabulum legitur inde ab Itala et Tertulliano passim apud scriptores ecclesiasticos usque ad septimum saeculum; praeterea illa vox etiam in Inscriptionibus Christianis exstat. Illa voce est usus Hieronymus, Augustinus, Maximus Taurinus, Alcimius Avitus, Cassiodorus, Gregorius Magnus et alii. Alc. Avit. hom. lib. 6. 9. 111. 34. Quin et ipsa irrationabilis creatura.
I n c o r r u p t e l a, - a e.

1. Cor. 15. 50. neque corruptio incorruptelam possidebit.

Incorruptelae vox in usu fuit tantummodo apud scriptores ecclesiasticos tertii, quarti et quinti saeculi inde ab Irenaeo et Tertulliano (cf. Ambrosium, Augustinum).

2. De substantivis derivativis in -ia exeuntibus.

Ecclesiasticorum tempore denominata substantiva in -ia exeuntia in apostolorum epistolis quae legantur, de hac re videatur infra, ex participio praesentis activi ficta sunt. Etiam ab aliis ecclesiasticorum temporis scriptoribus adhibita fere omnia similiter cadentia substantiva a participio praesentis activi derivata sunt. Paucker in suo Spicilegio in pagina 29[7] plurima in easdem litteras exeuntia recentia substantiva denominativa collaudavit.

Iustitiae vox itemque aliae voces, sub quibus subicienda est vis notionum sola mente percipiendarum, plurali numero praecipue in corrupti generis sermone adhibentur.
C o n c u p i s c e n t i a, - a e.

Gal. 5. 24. Carnem suam crucifixerunt cum vitiis et con-

cupiscentiis. Rom. 7. 7. nam concupiscentiam nesciebam. Ibid. 7. 8. operatum est in me omnem concupiscentiam. Coloss. 3. 5. Mortificate... concupiscentiam malam.

Concupiscentia est vox sermonis ecclesiastici et legitur inde ab Itala, ubi in maiore est usu, quam in Vulgata, nam compluribus locis in Itala exstat concupiscentia, ubi in Vulgata desiderium. Maxime tamen adamata est Augustino. Vocabulum in usu fuit usque ad septimum saeculum (cf. Alcimium Avitum, Cassiodorum, Venantium Fortunatum).

Inobedientia, -ae.

Rom. 5. 19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. 2. Cor. 10. 6. ulcisci omnem inobedientiam.

Inobedientia est sermonis ecclesiastici vox. Legitur apud Tertullianum, Irenaeum, Hilarium, Hieronymum, Augustinum et alios: Aug. civ. 14. 17. nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodam modo testimonium perhibebat.

Iustitia, -ae.

Rom. 2. 26. Si igitur praeputium iustitias legis custodiat.

Plurali numero illud nomen substantivum praeter Litteras Sacras legitur saepe apud Hieronymum, adhibet etiam Prosper.

Sufferentia, -ae.

Jac. 5. 11. Sufferentiam Job audistis.

Sufferentia est tolerantia. Non legitur nisi apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala (cf. Tertullianum, Irenaeum, Passionem s. s. Perpetuae et Felicitatis).

Sufficientia, -ae.

2. Cor. 3. 5. Sufficientia nostra ex Deo est. 2. ibid. 9. 8. ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentis. 1. Tim. 6. 6. Est autem quaestus magnus, pietas cum sufficientia.

Illud ecclesiastici sermonis vocabulum legitur apud scriptores tertii, quarti, quinti, etiam sexti saeculi (cf. Tertullianum, Ambrosium, Sidonium, Alcimium Avitum): Alc. Avit. epist. 84. p. 102. 13. Numquam, si creditis, sufficientia deerit animo tali.

Sustinentia, -ae.

1. Thessal. 1. 3. Memores operis fidei vestrae, et laboris, et charitatis, et sustinentiae spei Domini nostri.

Vocabulum legitur tantummodo in Litteris Sacris et apud

ecclesiasticos scriptores, praesertim tertii, quarti et quinti seculi (cf. Cyprianum, Luciferum, Lactantium, Augustinum).

3. De substantivis derivativis in -tas exeuntibus.

Non solum in Litteris Sacris, sed etiam apud ecclesiasticorum temporis scriptores leguntur multa denominativa nomina substantiva in -tas exeuntia, formata ad exprimendas notiones rerum a corpore seiunctarum et simplicium. In apostolorum epistolis similiter cadentia substantiva tantummodo ab adiectivis derivata inveni. Etiam apud ceteros ecclesiasticorum temporis scriptores fere omnia novicia substantiva similes casus habentia in exitu denominata sunt ab adiectivis, perraro a substantivis, verbis vel adverbiis, velut deitas. filietas, affluitas, albescitas, iteritas.

A n i m o s i t a s, - a t i s.

2. Cor. 12. 20. ne forte contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones ... sint inter vos. Hebr. 11. 27. Fide reliquit Aegyptum, non veritus animositatem regis.

Illud substantivum legitur ante initium tertii saeculi. Vocem adhibet Cyprianus, Macrobius, Augustinus, Sidonius, Oribasius et alii. Alc. Avit. c. Eutych. 1. p. 16. 11. quod in aliqua recti similitudine sensum conceptae animositatis adstrueret.

I n c o r r u p t i b i l i t a s, - a t i s.

1. Petr. 3. 4. Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus.

Illud vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde ab Irenaeo (adde Tertullianum, Luciferum, Sulpicium Severum).

I n c r e d u l i t a s, - a t i s.

Rom. 11. 23. si non permanserint in incredulitate. Ibid. 11. 20. Propter incredulitatem fracti sunt. Coloss. 3. 6. venit ira Dei super filios incredulitatis.

Legitur apud Apuleium et apud ecclesiasticos scriptores: Cyprianum, Arnobium, Hieronymum, Paulinum Nolanum, Alc. Avitum. Alc. Avit. epist. 30 (28) p. 60. 22. renitentibus animis et in sua incredulitate durantibus.

L o n g a n i m i t a s, - a t i s.

Rom. 2. 4. An divitias bonitatis eius et patientiae, et longanimitatis contemnis? Gal. 5. 22. Fructus autem spiritus est: charitas,

gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas. 2. Petr. 3. 15. Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini. Col. 1. 11. in omni patientia, et longanimitate cum gaudio. Adde 2. Tim., 3. 10. et alibi.

Illo vocabulo usi sunt scriptores ecclesiastici inde a Litteris Sacris usque ad sexti saeculi exitum. Vox legitur apud Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum.

N a t i v i t a s, - a t i s.

Jac. 3. 6. Lingua ... inflammat rotam nativitatis nostrae.

Illud vocabulum in usu fuit apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos et iurisconsultos, inde a Minucio Felice usque ad septimum saeculum. Voce usus est Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Hieronymus, Sulpicius Severus, Alcimius Avitus, Venantius Fortunatus. Alc. Avit. epist. 22. p. 54. 24. Certe post verbum Dei, quod caro factum est, ut per nativitatem corporis habitaret in nobis.

P a t e r n i t a s, - a t i s.

Ephes. 3. 15. Ex quo omnis paternitas in caelis, et in terra nominatur.

Vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Litteris Sacris usque ad septimum saeculum. Voce usus est Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius Ruspensis, Dionysius Exiguus, Isidorus.

4. De substantivis derivativis in - tio (-sio) exeuntibus.

In - tio exeuntia substantiva a verbis derivari solent. Plurima illorum ecclesiasticorum tempore denominata sunt. Iam Apuleius plurimus est in vocabulorum in -tio exeuntium usurpatione. Solus Hieronymus similiter cadentia substantiva ad octoginta finxit. Praetera Augustinus et alii magnum numerum denominaverunt. Multa quidem in easdem litteras exeuntia substantiva inveniuntur iam apud Ciceronem, qui, Pauckerio teste, 859 illis substantivis est usus, aliquid post tamen, Hadriani aetate illorum numerus usque ad 1447 auctus est. Illis substantivis exprimuntur sola mente percipiendae notiones, quae ecclesiasticorum temporibus ad theologorum disceptationes maxime necessariae erant. Illis ecclesiastici scriptores saepe sunt usi ad Graeca verba cum articulis transferenda.

Quamquam similiter cadentium vocum adhibendarum necessitas magna erat, multi tamen etiam posterioris temporis

scriptores illa vitabant. Multa in -io exeuntia nomina substantiva, quibus Cicero est usus, non denuo in usum venerunt, nisi apud multo posterioris temporis scriptores. Sunt praeterea quaedam similiter cadentia substantiva, quae antiquissimis temporibus in usu fuerant, bona aetate iam ab usu remota sunt. Apud Afranium morigeratio, apud Ennium ariolatio, apud Lucilium deletio legitur, plurima etiam apud Plautum, Catonem, Varronem et alios antiquissimos scriptores leguntur, quae aliquid serius oblita sunt. Latini scriptores, quantum equidem iudicare possum, in -io exeuntia substantiva vitaverunt ea de causa, quod in lingua Latina, ut consuetudo fert, rerum cogitationi tantum subiectarum nomina sensui subiectas res significantibus verbis notabantur, de qua re etiam apud R. Klotzium agitur (Brevis bene Latine dicendi praeceptorum liber, p. 238.) Non „veritas est", sed „verum est", similiter „verum dicere, id quod verum est dicere" Romani dicere solebant.

Ad exprimendas tamen res, quae in philosophia disseruntur, scriptores cogebantur nova et inaudita verba formare, eaque formata, ut Cicero docet, usu mollire: Cic. nat. deor. 1. 95. sive beatitas, sive beatitudo dicenda est — utrumque omnino durum, sed usu mollienda nobis verba sunt.

B e n e d i c t i o, - o n i s.

1. Cor. 10. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus. Rom. 16. 18. per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium. Jac. 3. 10. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Etiam Hebr. 12. 17. et alibi.

Illud vocabulum maximo in usu fuit apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos, inde ab Apuleio, Cypriano et Itala usque ad septimum saeculum. Vox legitur apud Tertullianum, Paulinum Nolanum, Lactantium, Augustinum, Alcimium Avitum, Gregorium Magnum et multos alios; praeterea etiam in Inscriptionibus Christianis invenitur.

C i r c u m c i s i o, - o n i s.

Rom. 2. 25. Circumcisio quidem prodest, si legem observes: si autem praevaricator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est. Ibid. 2. 26. nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur? Ephes. 2. 11. quae dicitur circumcisio in carne, manu facta. Gal. 2. 9. ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem. Adde Rom. 4. 9., ibid. 3. 30., Tit. 1. 10., Col. 3. 11.

Legitur inde ab Itala apud ecclesiasticos passim. Vox exstat

apud Tertullianum, Ambrosium, Hieronymum, Alcimium Avitum, Cassiodorum et multos alios ecclesiasticos scriptores.

C i r c u m d a t i o, - o n i s.

1. Petr. 3. 3. Quarum non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum.

Circumdationis vox legitur inde ab Itala usque ad septimum saeculum. Illo vocabulo usus est Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus, Cassiodorus.

C o i n q u i n a t i o, - o n i s.

2. Petr. 2. 13. coinquinationes, et maculae deliciis affluentes. 2. ibid. 2. 20 si enim refugientes coinquinationes mundi.

Vox legitur inde ab Itala apud scriptores, praesertim ecclesiasticos quarti et quinti saeculi. Vocabulum exstat apud Luciferum, Sulpicium Severum, Augustinum, Chironem et alios.

C o m b u s t i o, - o n i s.

Hebr. 6. 8. Terra ... proferens autem spinas ... maledicto proxima est, cuius consummatio in combustionem.

Vocabulum non legitur ante Italam, in usu autem fuit usque ad septimum saeculum. Vocem adhibet Cassianus, Augustinus, Fulgentius Ruspensis, Gregorius Magnus et alii.

C o m p u n c t i o, - o n i s.

Rom. 11. 8. Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos ut non videant, et aures ut non audiant.

Compunctionis vocabulum legitur apud scriptores, praesertim ecclesiaisticos, inde ab Itala usque ad septimum saeculum. Voce usus est Tertullianus, Vegetius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Maximus Taurinus, Alcimius Avitus, Cassiodorus, Gregorius Magnus et multi alii.

C o n s p e r s i o, - o n i s.

1. Cor. 5. 7. Expergate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.

Conspersionis vox non legitur ante Italam, in usu autem fuit usque ad septimum saeculum. Vocabulum exstat apud Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium Magnum et alios.

D e l i b a t i o, - o n i s.

Rom. 11. 16. Quod si delibatio sancta est, et massa.

Praeter Vulgatam vox legitur etiam apud Tertullianum, Irenaeum et iurisconsultos.

Discretio, -onis.

1. Cor. 12. 10. alii prophetia, alii discretio spiritum. Hebr. 5. 14. Perfectorum autem est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni.

Vox saepe adhibita est apud scriptores, praesertim Christianos, inde a Tertulliano. Legitur apud Lactantium, Ambrosium, Macrobium, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, in Digestis. Alc. Avit. c. Eutych. 2. p. 24. 19. Ad intelligendum horae illius mysterium discretionem potius requiri convenit, quam decretum.

Dispersio, -onis.

1. Petr. 1. 1. Petrus Apostolus Iesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti.

Dispersionis vox apud scriptores boni temporis admodum non legitur, nisi apud Ciceronem uno dubio loco: Phil. 3. 30. Cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum et ad dispersionem urbis venire conatus? Alii tamen hic disperditionis vocem ponunt. Aliquid in maiore usu vox fuit apud posterioris temporis scriptores inde a Tertulliano. Voce enim usus est Vegetius, Augustinus, Cassiodorus.

Emundatio, -onis.

Hebr. 9. 13. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.

Vox legitur apud scriptores ecclesiasticos inde ab Irenaeo. Vocem adhibent scriptores tertii, quarti et quinti saeculi (cf. Tertullianum, Hieronymum, Petrum Chrysologum).

Exacerbatio, -onis.

Hebr. 3. 8. Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto. Ibid. 3. 15. nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.

Vox in usu fuit apud posterioris temporis scriptores, praesertim quarti et quinti, etiam sexti saeculi. Illo vocabulo usus est Julius Rufinianus, Salvianus, Emporius.

Expoliatio, - onis.

Col. 2. 11. In quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis. Legitur apud Christianos scriptores. Voce usi sunt scriptores ecclesiastici usque ad septimum saeculum (cf. Hieronymum, Augustinum, Isidorum).

Fornicatio, -onis.

1. Cor. 5. 1. Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis

fornicatio, qualis... Rom. 1. 29. Repletos omni indignitate, malitia, fornicatione, avaritia. 1. Cor. 6. 13. Corpus autem non fornicationi, sed Domino. 1. ibid. 6. 18. Fugite fornicationem. Ephes. 5. 3. Fornicatio autem...

Fornicationis vocabulum in usu fuit in Litteris Sacris et apud scriptores ecclesiasticos usque ad septimum saeculum. Illa voce usus est Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Turonensis et multi alii ecclesiastici scriptores, etiam iurisconsulti.

Ecclesiatica fornicationis vox segreganda est ab illa apud Senecam Iuniorem et Vitruvium, ubi de fornicis structura dicitur.

Inchoatio, - onis.

Hebr. 6. 1. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur.

Vox legitur apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos usque ad sexti saeculi exitum. Vocabulo est usus Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Boethius.

Incorruptio, - onis.

Rom. 2. 7. Iis autem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem, et incorruptionem quaerunt vitam aeternam. 1. Cor. 15. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem. 1. ibid. 15. 45. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Adde 2. Tim. 1. 10., Ephes. 6. 24.

Illa voce usi sunt tertii, quarti et quinti saeculi scriptores ecclesiastici: Tertullianus, Ambrosius, Sulpicius Severus, Augustinus et alii.

Iustificatio, - onis.

Rom. 4. 25. et resurrexit propter iustificationem nostram.

Iustificationis vox legitur apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala. Usus est illo vocabulo Tertullianus, Hieronymus, Salvianus, Augustinus.

Legislatio, - onis.

Rom. 9. 4. Qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium.

Voce usi sunt scriptores ecclesiastici usque ad sexti saeculi exitum (cf. Hieronymum, Rufinum, Arnobium, Cassiodorum).

Malectio, - onis.

2. Petr. 2. 14. cor exercitatum avaritia habentes, malectionis filii.

Vocabulum in litteris Latinis rarissimum, nam, cum lexica de hoc vocabulo omnino mentionem non faciunt, Totius Latinitatis Lexicum indicat aliam huius vocis formam et maleactionis vocem Arnobio tribui confirmat, loco tamen non indicato.

M a n i f e s t a t i o, - o n i s.

1. Cor. 12. 7. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. 2. ibid. 4. 2. Sed in manifestatione vertitatis commendantes nosmetipsos.

Manifestationis vocabulum in usu fuit apud acriptores ecclesiasticos inde a Litteris Sacris usque ad sexti saeculi exitum. Voce usus est Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus et alii.

M o r t i f i c a t i o, - o n i s.

2. Cor. 4. 10. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.

Illud vocabulum in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos tertii, praesertim quarti, etiam quinti saeculi (cf. Tertullianum, Luciferum, Ambrosium, Hieronymum).

O b e d i t i o, - o n i s.

Rom. 16. 26. Quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundum praeceptum aeterni Dei, ad obeditionem fidei. Ibid. 5. 19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi. Ibid. 6. 16. Servi estis eius, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad iustitiam.

Obeditionis vox legitur apud scriptores ecclesiasticos, praesertim tertii et quarti saeculi (cf. Irenaeum, Ambrosium).

O b u m b r a t i o, - o n i s.

Jac. 1. 17. apud quem (Deum) non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Vox legitur apud scriptores ecclesiasticos, praesertim quarti et quinti saeculi, ut apud Arnobium, Maximum Taurinum, Augustinum, Prosperum, Alcimim Avitum. Alc. Avit. c. Eutych. 2. p. 22, 8. Pro cuius obumbratione figmenti simulati.

O p i t u l a t i o, - o n i s.

1. Cor. 12. 28. posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos... deinde virtutes.... opitulationes, gubernationes, genera linguarum.

Vox in usu fuit apud iurisconsultos et scriptores ecclesias-

ticos inde ab Irenaeo. Vocabulum exstat apud Hieronymum, Arnobium, Augustinum, Orosium, Fulgentium Ruspensem.

O s t e n s i o, - o n i s.

2. Cor. 8. 24. Ostensionem ergo, quae est charitatis vestrae... in illos ostendite in faciem Ecclesiarum. Rom. 3. 25. ad ostensionem iustitiae suae. 1. Cor. 2. 4. in ostensione spiritus et virtutis.

Ostensionis vocabulum legitur apud Apuleium, Aquilam Romanum et scriptores ecclesiasticos, praesertim tertii et quarti saeculi (cf. Tertullianum, Cyprianum, Irenaeum, Hilarium, Hieronymum).

P a r t i c i p a t i o, - o n i s.

2. Petr. 6. 14. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate. 1. Cor. 10. 16 et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?

Vocabulum legitur inde ab Apuleio et Cypriano. Usi sunt illo etiam quarti, quinti et sexti saeculi scriptores, velut Spartianus, Hieronymus, Alcimius Avitus, Ennodius. Boni scriptores participationis loco ponebant communicationis vocem aut usi sunt circumlocutione.

P a s s i o, - o n i s.

Rom. 7. 5. Passiones peccatorum... operabantur in membris nostris.

Illud vocabulum legitur apud posterioris temporis scriptores inde ab Apuleio. Voce usi sunt medici, grammatici, iurisconsulti et scriptores ecclesiastici (cf. Tertullianum, Prudentium, Macrobium, Augustinum, Caelium Aurelianum, Codicem Theodosianum). Passio Francogallice la passion dicitur, Italice et passione et passio, quarum posterior forma ex nominativo casu facta, ut etiam nonnulla alia vocabula, quae in usu apud ecclesiasticos fuerant et inde in sermonem Italicum transierunt.

P r a e f i n i t i o, - o n i s.

Ephes. 3. 11. Secundum praefinitionem saeculorum.

Vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticos et iurisconsultos (cf. Tertullianum, Hilarium, Gai Inst., Dig.).

P r o p i t i a t i o, - o n i s.

Rom. 3. 25. Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. 1. Joann. 2. 2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1. ibid. 4. 10. et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

Vox non legitur ante ecclesiasticorum aetatem, nisi uno dubio apud Senecam philosophum loco: Nat. quaest. 2. 38. expiationes propitiationesque prodigiorum pericula avertant. Alii tamen „procurationes" legunt. Vocabulum in usu fuit usque ad septimum saeculum. Usus est illo Ambrosius, Macrobius, Hieronymus, Augustinus, Isidorus et alli scriptores.

R e g e n e r a t i o, - o n i s.

Tit. 3. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.

Illa vox legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Cypriano. Usus est illo vocabulo etiam Hieronymus, Cassianus, Priscillianus, Augustinus. Aug. 20. Civ. D. 5. In regeneratione, procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intellegi.

R e p r o b a t i o, - o n i s.

Hebr. 7. 18. Reprobatio quidem fit praecedentis mandati.

Reprobationis vox legitur tantum apud posterioris temporis scriptores, grammaticos et ecclesiasticos inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum. Vocabulo usus est Hieronymus, Julius Rufinianus, Alcimius Avitus, Isidorus. Alc. Avit. c. Eutych. 2. p. 23. 10. Vos modo perpendite amentiam totius haeresis in unius reprobatione sermonis.

R e s u r r e c t i o, - o n i s.

Rom. 1. 4. Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi.

Resurrectio est ecclesiasticorum vox, quae legitur apud ecclesiasticos scriptores inde a Tertulliano usque ad sextum saeculum et in Inscriptionibus Christianis. Illo vocabulo usus est Lactantius, Hilarius, Hieronymus, Alcimius Avitus. Alc. Avit. hom. 10. p. 121. 2. cum resurrectionem mortuorum non mortuo sermone describeret.

R e t r i b u t i o, - o n i s.

Rom. 11. 9. Fiat mensa eorum in laqueum... et in retributionem illis. Hebr. 2. 2. omnis praevaricatio, et inobedientia accepit iustam mercedis retributionem.

Vox legitur inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum. Illud vocabulum adhibet Lactantius, Hieronymus, Sidonius, Alcimius Avitus, Venantius Fortunatus. Ven. Fort. carm. 8. 12a. 9.

ita praecipiatis infatigabiliter laborare qualiter ipse vobis in retributione sempiterna restituat.

R e v e l a t i o, - o n i s.

Rom. 2. 5. thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei. 1. Petr. 4. 13. ut et in revelatione gloriae gaudeatis exultantes. 1. Cor. 1. 7. expectantibus revelationem Domini nostri.

Vocabulum legitur apud acriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano. Usus est illa voce etiam Arnobius, Hieronymus, Augustinus, Alcimius Avitus.

S a n c t i f i c a t i o, - o n i s.

Rom. 1. 4. Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri. 1. Petr. 1. 2. Secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam... 1. Thess. 4. 3. Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra. Adde 2. ibid. 2. 12., Rom. 6. 19., 1. Cor. 1. 30.

Illud vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticos tertii, quarti, quinti et sexti saeculi. Usus est illo Tertullianus, Hieronymus, Sulpicius Severus, Apollinaris Sidonius, Alcimius Avitus et alii.

S u b m i n i s t r a t i o, - o n i s.

Philipp. 1. 19. hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, et subministrationem spiritus Iesu Christi. Eph. 4. 16. Ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis.

Subministrationis vox in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano. Illud vocabulum adhibet etiam Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius Ruspensis et alii.

S u b v e r s i o, - o n i s.

2. Tim. 2. 14. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.

Vocabulum ante ecclesiasticorum scriptorum tempus in usu non fuit. Legitur inde a Litteris Sacris usque ad sexti saeculi exitum. Usus est illa voce Arnobius, Hieronymus, Alcimius Avitus, Cassiodorus. Alc. Avit. epist. 11. p. 45. 9. Quamquam nec illa vobis regionis suae subversio quasi incognita exaggerari debeat.

T r i b u l a t i o, - o n i s.

Rom. 2. 9. Tribulatio et angustia in omnem animam operan-

tis malum. 1. Cor. 7. 28. Tribulationem autem carnis habebant huiusmodi. 2. ibid. 1. 4. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Adde 2. ibid. 4. 17. Ephes. 3. 13, 2. Cor. 4. 8.

Illa vox legitur apud scriptores ecclesiasticos (Cypr., Tert., Aug.).

5. De substantivis derivativis in - tor (- sor, - trix) exeuntibus.

Multa substantiva derivativa in — tor exeuntia iam bona aetate ficta sunt. Illorum derivatio sic in dies magis magisque augebatur, ut quarto et quinto saeculo derivandi facultas infinita videretur. Paucker (Addenda lexicis Latinis p. 518. sq.) nobis refert 1276 in - tor vel - trix exeuntia nomina derivata, quae apud ecclesiasticorum temporis (post Hadrianum) scriptores in usu erant, tamen etiam ille numerus longe non est plenus. Ex universis ad 2300 illis substantivis e tribus duae igitur partes post Hadriani tempus in usum venerunt.

Similiter cadentia substantiva in Apostolorum epistolis invenienda, de quibus hic agitur, sunt omnia e verbis ducta. Similiter denominata sunt etiam plurima in easdem litteras exeuntia substantiva nomina agentis, quibus alii scriptores usi sunt. Antoninorum aetate illius generis substantiva etiam aliter derivata sunt, velut alator, sarcinator, similator, singulator, senatrix. Etiam in - trix exeuntia feminina substantiva apud Plautum magna ex parte a nominibus substantivis derivata sunt.

A p p e t i t o r, - o r i s.

1. Petr. 4. 15. aut maledicus, aut alienorum appetitor.

Illud vocabulum in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos et iurisconsultos inde ab Itala usque ad sexti saeculi exitum. Vox exstat apud Cyprianum, Arnobium, Gregorium Turonensem, in Codice Theodosiano.

C o n c u b i t o r, - o r i s.

1. Cor. 6. 10. Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures... regnum Dei possidebunt. 1. Tim. 1. 10. Fornicariis, masculorum concubitoribus...

Vox in litteris Latinis rara. Usi sunt illa praecipue scriptores ecclesiastici et iurisconsulti. Legitur in Itala, apud Tertullianum, Salvianum, Augustinum, Porphyrium, Ps. Quintilianum, Iulianum.

Criminatrix, - icis.

Tit. 2. 3. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes.

Vox in litteris Latinis omnino rara. Lexica praeter Vulgatam etiam Palladium referunt.

Discretor, - oris.

Hebr. 4. 12. et discretor cogitationum et intentionum cordis.

Praeter Vulgatam legitur etiam apud Irenaeum, Augustinum.

Exterminator, - oris.

1. Cor. 10. 10. quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.

Illa vox legitur apud scriptores ecclesiasticos usque ad septimum saeculum (cf. Irenaeum, Hieronymum, Augustinum, Isidorum). Nonnulli illam vocem etiam apud Ciceronem legunt: Cic. Dom. 55. Respublica quamquam erat exterminata mecum, tamen observabatur ante oculos exterminatoris sui. Alii etiam illo loco „exstinctoris" vocem ponunt. Haec lectio etiam mihi rectior esse videtur, nam non solum Cicero alicubi illa voce est usus, sed etiam apud alios scriptores ante ecclesiasticorum scriptorum tempus non legitur. Exterminatoris vocem pro exstinctoris librarius per errorem facile ponere potuit, nam illae duae voces similes sunt, praeterea paulum ante posita est „exterminata" vox, quae eo faciliorem factu errorem efficit.

Fornicator, - oris.

1. Cor. 5. 11. Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus... Ephes. 5. 5. omnis fornicator, aut immundus... Hebr. 12. 16. Ne quis fornicator, aut profanus.

Vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala usque ad sextum saeculum (conf. Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, Maximum Taurinum).

Illusor, - oris.

Iud. 18. in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.

Vocabulum legitur apud tertii, quarti, quinti saeculi scriptores ecclesiasticos, velut apud Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Paulinum Nolanum.

Intentator, - oris.

Jac. 1. 13. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tenta-

tur: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.

Vox in litteris Latinis rara. Legitur apud ecclesiasticos (adde Augustinum, Martinum Bracarensem).

M e d i a t o r, - o r i s.

Gal. 3. 20. Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. Ibid. 3. 19. lex... ordinata per angelos in manu mediatoris. Hebr. 9. 15. Et ideo novi testamenti mediator est. 1. Tim. 2. 5. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum.

Vox legitur apud posterioris temporis scriptores usque ad sexti saeculi exitum. Vocabulum in usu fuit apud Apuleium, Tertullianum, Lactantium, Prudentium, Cassiodorum.

M u r m u r a t o r, - o r i s.

Jud. 16. Hi sunt murmuratores quaerulosi.

Vocabulum in litteris Latinis admodum rarum, nam lexica illud non indicant, nisi apud Festum et Augustinum.

P e r s e c u t o r, - o r i s.

1. Tim. 1. 13. Qui prius blasphemus fui, et persecutor.

Persecutor proprie est vexator, insectator. Apud Christianos scriptores propria significatione usurpatur, cum de Christianorum vexatione dicitur. Vox exstat etiam apud iurisconsultos, ubi persecutor est qui ius suum persequitur. Vox legitur quarto, quinto, etiam sexto saeculo (cf. Lactantium, Capitolinuum, scriptores historiae Augustae, Hilarium, Hieronymum, Sidonium, Alcimium Avitum).

S a l v a t o r, - o r i s.

Philipp. 3.20. Nostra autem conversatio in coelis est: unde etiam Salvatorem expectamus. 2. Tim. 1. 10. per illuminatorem Salvatoris nostri Iesu Christi. Tit. 2. 13. magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. Adde ibid. 3. 6., Ephes. 5. 23. et alibi.

Salvatoris vocabulum ante scriptorum Christianorum tempus in litteris Latinis admodum non fuit in usu. Quod vocabulum, ut Augustinus dicit (13. Trin. 10.), Latina lingua antea non habebat, sed habere potuit: sicut potuit, quando voluit. Scriptores ecclesiastici salvatoris vocem pro Graeca soteris voce ponunt. Nonnulli scriptores soteris loco ponunt servatoris (Val. Max.), sospitatoris (Apuleius) vocem, Cicero autem illam Graecam vocem nulla Latina exprimere potest: id. Verr. 2. 63. Itaque eum non solum patronum illius insulae, sed etiam sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? Ita magnum, ut Latine uno

verbo exprimi non possit. Id est nimirum soter, qui salutem dedit.

Vocabulum in usu fuit inde a Tertulliano (cf. Lactantium, Juvencum, Prudentium, Sedulium, Paulinum Nolanum, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum).

S e d u c t o r, - o r i s.

Tit. 1. 10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores. 2. Cor. 6. 8. per infamiam, et bonam famam: ut seductores, et veraces. 2. Tim. 3. 13. Mali autem homines, et seductores proficient in peius.

Vox non legitur, nisi apud scriptores ecclesiasticos. Vocabulo est usus Hieronymus, Augustinus, Alcimius Avitus. Alc. Avit. epist. 23. p. 55. 34. si scriptum misissem, sacerdotibus, immo magis seductoribus.

T r a n s g r e s s o r, - o r i s.

Jac. 2. 9. redarguti a lege quasi transgressores. Vocabulum legitur apud Christianos scriptores, ut Tertullianum, Hieronymum, Arnobium, Augustinum, Alcimium Avitum et alios. Alc. Avit. epist. 82. p. 70. 19. et de impiis transgressoribus Eutychete atque Nestorio sedis apostolicae constituta recolere.

6. De substantivis derivativis in - ium exeuntibus.

Plurima in - ium exitum habentia nomina substantiva a verbis derivata sunt: desiderium a desidero, gaudium a gaudeo denominatum est. Huc spectant etiam in apostolorum epistolis adhibita substantiva derivativa improperium et propitiatorium. Alia in - ium exeuntia substantiva, velut sacerdotium, convivium, aut a substantivis, aut ab adiecitivis denominata sunt. Vaniloquii vocabulum autem ab adiectivo vanus et verbo loquor formatum est.

I m p r o p e r i u m, - i i.

Hebr. 13. 13. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Ibid. 11. 26. Maiores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi.

Vocabulum in litteris Latinis rarum, transiit tamen in novicias linguas: improperium enim Italice improperio dicitur. Legitur apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos usque ad sexti saeculi exitum (cf. Hieronymum, Cassiodorum).

P r o p i t i a t o r i u m, - i i.

Hebr. 9. 5. Superque eam erant Cherubim gloriae obumbrantia propitiatorium.

Illa vox legitur tantummodo apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Litteris Sacris usque ad Isidorum.

V a n i l o q u i u m, - i i.

2. Tim. 2. 16. Profana autem, et vaniloquia devita. 1. ibid. 1. 6. conversi sunt in vaniloquium.

Quamquam adiectivum vaniloquus iam inde a Plauto legitur, illud substantivum tamen ante ecclesiasticorum tempus in litteris Latinis in usu non fuit. Legitur illud apud Irenaeum, Vincentium Lerinensem, Augustinum.

7. De substantivis derivativis in - um exeuntibus.

In - um exitum habentia substantiva, de quibus hic agitur, duorum generum sunt: aut in - crum, aut in - mentum exeuntia. Omnia illa substantiva a verbis derivata sunt. Nonnulla exitum habentia in - mentum substantiva etiam breviorem, in - men formam exeuntem habent. Fundamentum etiam fundamen, decoramentum autem decoramen dicitur. Harum vocum longiores formae posteriores sunt. Multorum tamen substantivorum in - men exeuntes formae formatae sunt serius atque illae in - mentum. Huc spectant ab Apuleio fictae: aeramen, calcamen, coronamen, a Macrobio odoramen. Nonnulla substantiva duabus formis eadem aetate leguntur, quarum brevior poetis magis, longior autem orationis solutae scriptoribus adamata est.

Iam Kretschmann (De Latinitate L. Apulei Madaurensis p. 40. sq.) in - men vel - mentum exeuntes voces contumeliosas esse sensit: „Vocabula, quae in - men et - mentum desinunt, quae propter ipsam longitudinem pondusque sonitus gravis, quo auribus inferuntur, studiosus Apuleius noster videtur captasse. Accedit praeterea rarioris terminationis oblectamentum, quae, nisi in vetustiore lingua, minime frequens est. In nonnullis maxime, quae in - men finientia noviter confinxit, animadvertere licet, novam terminationem nihil fere immutasse notionem, sed arcessitam tantum esse, ut inane orationis ornamentum idque inde etiam patefit, quod huiusmodi rariores exitus praecipue cumulavit. His ratione simillima, sed paullo usi-

tatiora sunt ea, quae in - mentum determinantur". Posterioris temporis scriptores omnino longiores formas adamabant. De hac re plura dicam de ambulandi verbo disserens.

Exeuntia in - men vel - mentum substantiva notiones sola mente percipiendas exprimunt. Nonnulla tamen ex illis etiam notiones rei singularis sunt. Flumen proprie est fluxio, decursus aquae, saepius tamen translate adhibetur et est non fluxio, sed id quid fluit, aqua fluens, fluvius. Idem dici potest et de agminis voce. Agmen proprie est ambulatio, deinde exercitus ambulans. Iuramenti vocabulum in litteris Latinis tantummodo apud ecclesiasticorum temporis scriptores legitur. Illud vocabulum, ut mihi videtur, iurisconsulti per analogiam aliarum similiter fictarum vocum ab iurandi verbo derivaverunt.

Figmentum, - i.

Rom. 9. 20. Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit.

Illud vocabulum legitur apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos. Usus est illo Gellius, Apuleius, Minucius Felix, Lactantius, Sedulius, Alcimius Avitus et multi alii seriptores. Alc. Avit. carm. 4. 274. Serpentis tantum semper figmenta caveto.

Indumentum, - i.

1. Petr. 3. 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.

Bonae aetatis scriptores vocem admodum non adhibent. Legitur apud Gellium, Aurelium Victorem, apud iurisconsultos et scriptores ecclesiasticos, velut Prudentium, Lactantium, Hieronymum, Ennodium.

Iuramentum, - i.

Jac. 5. 12. Ante omnia autem fratres mei nolite iurare, neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum.

Iuramenti vocabulum in usu erat apud iurisconsultos et quarti et quinti saeculi scriptores, praesertim ecclesiasticos, velut apud Hieronymum, Sulpicium Severum, Ammianum, Augustinum et alios.

Lavacrum, - i.

Tit. 3. 5. per lavacrum regenerationis et renovationis spiritus sancti.

Bonae aetatis scriptores illud vocabulum admodum non adhibent. Illa voce usus est Gellius, Spartianus et ecclesiastici:

Cyprianus, Prudentius, Hieronymus, Claudianus, Alcimius Avitus et alii. Alc. Avit. carm. 4. 620. Sic sperare reos lavacrum non posse secundum.

8. De substantivis derivativis alios exitus habentibus.

Kretschmann (De Latinatate L. Apulei Madaurensis, p. 36.) Apuleium plurimum esse in exitum habentium in - tus substantivorum usurpatione refert. Pars tamen illorum substantivorum, dimidium fere, ut aliquot post in pagina 39. sq. videtur, proprie in - atus exitum habet. Usus autem in - tus exeuntium substantivorum, de qua re dicam de substantivis ante ecclesiasticorum tempus adhibitis disserens, differt ab usu illorum in – atus exeuntium. In - atus exeuntia substantiva, de quibus hic agitur, quamquam multa iam apud Apuleium inveniuntur, illorum tamen numerus augeri coepit praecipue inde a tertio post Christum natum saeculo. Sunt quidem similiter cadentia substantiva etiam superioribus temporibus ficta: centurionatus inde a Valerio Maximo, licenciatus inde a Laberio legitur.

In - o exeuntia substantiva e sermone communi sumpta sunt. Hoc testantur ii, qui glossas scripserunt et collaudaverunt eos scriptores, de quibus antea mentio non erat facta. Praeterea noviciae linguae e lingua Latina ortae idem patefaciunt.

Incolatus, - us.

I. Petr. 1. 17. in timore incolatus vestri tempore conversamini.

Illud vocabulum legitur apud iurisconsultos, in Inscriptionibus Latinis et apud ecclesiasticos scriptores inde a Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum. Voce usus est Irenaeus, Ambrosius, Augustinus, Cassiodorus.

Susurro, - onis.

Rom .1. 29. plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones.

Susurro est qui occulte maledicendo odium in aliquem molitur. Vox ficta a verbo susurro. Illo vocabulo usi sunt scriptores ecclesiastici, praesertim quarti et quinti saeculi, velut Hieronymus, Rufinus, Augustinus, Sidonius et alii.

9. De participiis et adiectivis substantivorum more adhibitis.

Participia non ante substantivorum more adhiberi coepe-

runt, quam verba esse desierunt et in adiectiva ficta sunt. Hac de causa participia una cum adiectivis tractavi.

Adiectiva omnibus in linguis fingebantur prius quam substantiva, nam qui aliquem certiorem facturus de aliqua re erat, non illius rei nomen, sed habitum dicere conabatur. Etiam serius adiectiva poterant in substantiva fingi, non in omnibus tamen linguis pariter. Lingua Germanica omnium novicium linguarum facillima est ad substantiva e participiis vel adiectivis formanda. Lingua Francogallica autem abundat e lingua Latina receptis adiectivis et participiis, quae substantivorum more adhibentur: aube ex adiectivo alba, soir ex adiectivo serus factum est, praeterea ex participiis facta sunt amant, avocat, légat et alia. In lingua Latina similiter facta substantiva magis vitata sunt, quam in lingua Graeca. Graecis etiam articulus magni momenti fuit ad illa substantiva formanda. In lingua Latina bona aetate non solum illa, sed etiam omnino substantiva vitabantur, nam Romani pro „auditores" „ii qui audiunt" dicere solebant.

Nonnulla tamen adiectiva, velut cognatus, necessarius, amicus, consanguineus, aequalis iam bona aetate saepe substantivorum more adhibita sunt, imprimis cum de hominibus aliquem aut propinquitate aut amicitia contingentibus agebatur. Secundum haec adhiberi coeperunt adiectiva, eaque plurali tantum numero, ordinem vel constantem hominis proprietatem significantia, velut docti, probi, pii, divites. Denique participia et adiectiva neutri generis plurali numero substantivorum more adhiberi poterant.

Omnia illa adiectiva vel participia bona aetate singulari numero substantivorum more non adhibebantur. Admodum fere illa nominativo casu non leguntur, praesertim apud Ciceronem. Augusti aetate exeunte tamen in conspectum venire coeperunt adiectiva in - arius, - icus, - anus exitum habentia. Augebatur numerus adiectivorum, quae plurali numero pro substantivis ponebantur, velut militares, equestres, praetoriani. Multa adiectiva et participia etiam nominativo casu et singulari numero substantivorum more adhiberi coeperunt. Posteriore denique tempore, ad exemplum Graecum, illa facultas infinita facta est.

A b s c o n d i t u m, - i.

Rom. 2. 28. sq. Non enim, qui in manifesto, Iudaeus est... sed qui in abscondito. 1. Cor. 4. 5. qui (scil. Deus) et illuminabit abscondita tenebrarum.

Absconditum est nomen substantivum frequenter adhibitum apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala et Vulgata usque ad sexti saeculi exitum. Vox legitur apud Ambrosium, Hieronymum, Gregorium Turonensem, Cassiodorum et multos alios.

A r c a r i u s, - i i.

Rom. 16. 23. Salutat vos Erastus arcarius civitatis.

Arcarius proprie est nomen adiectivum, substantivorum more saepius adhibitum. Arcarius est qui ad arcam, pecuniam pertinet. Arcarius, - ii est arcae custos. Id munus privatim exercebant in familiis servi, domini pecuniam administrantes. Vocabulum frequenter exstat in Inscriptionibus Latinis. In litteris Latinis legitur apud iurisconsultos et ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad sexti saeculi exitum (cf. Symmachum, Lampridium, Sidonium, Cassiodorum). Cassiod. Var. 10. 28. 1. Et ideo arcarios prorogatores tritici, vini et casei... sic servari desideramus.

B e n e p l a c i t u m, - i.

Eph. 1. 9. secundum benceplacitum eius.

Supra laudato loco beneplacitum est nomen substantivum, a participio perfecti passivi derivatum. Vocabulum legitur inde ab Itala apud scriptores ecclesiasticos: Irenaeum, Hieronymum, Augustinum, Fulgentium Ruspensem, Orosium. Etiam beneplacendi verbum, e quo fictum est illud nomen substantivum, legitur tantum inde ab Itala et usurpatur ad transferendum Graecum verbum εὐδοκεῖν sive εὐδοκία cum verbo aliquo in linguam Latinam.

C o n c a p t i v u s, - i.

Col. 4. 10. Salutat vos Aristarchus concaptivus meus. Rom. 16. 7. Salutate Andronicum, et Iuniam, cognatos et concaptivos meos. Philem. 23. Salutat te Epaphras concaptivus meus.

Concaptivus est ab ecclesiasticis scriptoribus ad exemplum Graecum formatum vocabulum. Proprie est adiectivum, substantivorum tamen more saepius adhibitum. Praeter Vulgatam legitur etiam apud Rufinum, Hieronymum, Venantium Fortunatum.

C o n t r i b u l i s, - i s.

1. Thess. 2. 14. quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris.

Contribulis proprie est adiectivum et significat eum, qui eiusdem tribus est. Translate contribulis est eiusdem religionis

homo. Illa vox legitur apud scriptores Christianos inde ab Itala usque ad septimum saeculum et in Inscriptionibus Latinis. Illam adhibet Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Sidonius, Gregorius Turonensis et alii.

Fornicarius, - ii.

1. Cor. 5. 9. Ne commisceamini fornicariis. 1. ibid. 5. 10. Non utique fornicariis huius mundi. 1. ibid. 6. 9. Neque fornicarii, neque idolis servientes. 1. Tim. 1. 10. lex iusto non est posita, sed iniustis... fornicariis, masculorum concubitoribus.

Fornicarius proprie est adiectivum, substantivorum more etiam adhibitum. Non legitur nisi apud scriptores ecclesiasticos, qui hanc vocem ceterasque eius stirpis voces e translatione Latina Litterarum Sacrarum repetiverunt. Vox exstat apud Tertullianum, Augustinum, Salvianum, Cassianum, Hieronymum.

Malignus, - i.

1. Joann. 2. 13. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum. 1. ibid. 3. 12. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. 1. ibid. 5. 19. et mundus totus in maligno positus est.

Malignus proprie est adiectivum, substantivorum more aliquando adhibitum. Apud scriptores ecclesiasticos malignus est homo improbus, saepius autem id quid diabolus. Illud nomen substantivum adhibent scriptores ecclesiastici, velut Iuvencus, Hieronymus, saepius tamen illa vox legitur in Litteris Sacris.

Temporaneum, - i.

Jac. 5. 7. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum (scil. imbrem autumnalem et vernum).

Temperaneum proprie est adiectivum temporaneus, - a, - um, saepe etiam substantivorum more, ut supra laudato loco, adhibitum. In litteris Latinis non legitur, nisi inde ab Itala. In usu fuit tertio, quarto, quinto, etiam sexto saeculo (cf. Cyprianum, Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Claudianum Mamertum, Alcimium Avitum). Apud Claudianum Mamertum temporaneus est idem ac temporalis, ad tempus durans: Claud. Mam. 1. Stat. an. 18. Tunc temporis significatio est, semper non ad tempus pertinet. Tunc ergo istud ad principium temporis pertinet, non ad tempus, quia temporaneum motum stabilitas sempiternae voluntatis includit. Temporaneus est etiam tempestivus: Augustin. 13. Confess. 18. et erumpat temporan(e)a lux

nostra. Temporaneum denique est etiam labilis ac fluxa res, cui opponitur spiritualis, aeterna: Alc. Avit. 17. p. 49. 8. salubriter tamen exasperatur in temporaneis, quem salvari cupimus in aeternis.

b) De nominibus substantivis, quae etiam ante ecclesiasticorum tempus in usu fuerunt.

1. De nominibus substantivis in - a exitum habentibus.

In - a exeuntes voces, de quibus hic agitur, cum origine, tum etiam vulgarium proprietatum ratione dispares sunt. Adultera proprie est adiectivum substantivorum more adhibitum, esca, offensa, rapina a verbis derivata sunt, sportae parum certa, vulvae varie explicanda origo est. Rapinae vox nisi singulari numero non vulgaris est, ceterae autem voces ab optimis scriptoribus omnino vitatae sunt.

A d u l t e r a, - a e.

Rom. 7. 3. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; paulo post: ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

Vox legitur iam apud Catonem et apud poetas: Horatium, Ovidium (frequenter), Martialem, deinde apud Senecam, Quintilianum, Plinium Maiorem, Phaedrum, Hieronymum, Augustinum et alios. Caesar, Cicero, Livius vocem adulterae non adhibent. Adulteri vox, quod notatu dignum mihi videtur, apud Ciceronem frequenter invenitur, legitur etiam apud Livium: Liv. 1. 58. 7. date dexteras fidemque haud impune adultero fore. Etiam Tacitus hanc vocem vitavisse videtur, quia adultera legitur apud eum tantum duobus locis: id ann. 11. 26. ne sperneret... adulteram, et ibid. 14. 1. lacrimis et arte adulterae. Adulteri tamen vocabulum apud Tacitum non minus quam 16-ies legitur.

E s c a, - a e.

1. Cor. 6. 13. Esca ventri et venter escis.

Quamquam nec Roensch, nec alii de hoc vocabulo mentionem fecerunt, mihi tamen escae vox vulgaris esse videtur. Caesar illa voce omnino non est usus, cum aliud cognominatum

vocabulum aliquoties usurpat. Cibus enim in Bello Gallico non minus quam ter, etiam victus in Bello Gallico pro cibo ter legitur, bis in Bello civili. Cicero, quamquam escae vocabulo aliquoties in libris ad philosophiam pertinentibus est usus, in orationibus tamen illud admodum non usurpavit. Saepe tamen ille in orationibus pro esca alia vocabula cognominata adhibet. Cibus in orationibus non minus quam decies, victus autem undecies exstat. Escae vox, quod notatu dignum est, in magno usu apud Plautum fuit. Usus est illo vocabulo etiam Petronius. Vocabulum adamatum est non solum Plauto, sed etiam poetis; legitur enim apud Ovidium, Horatium (in sat.), Martialem et alios. Voce usus est etiam Varro, Columella, Livius et ecclesiasticorum temporis scriptores, velut Solinus, Commodianus, Vegetius, Alcimius Avitus.

Escae vocabulum in sermone communi magno in usu fuisse videtur, nam etiam in litteris Latinis iam inde a Livio Andronico legitur et in novicias e lingua Latina ortas linguas transiit. Nunc et Italice et Hispanice esca, Portugallice isca id quod esca utraque significatione dicitur, Valachice autem easçe est tantummodo cibus ad fraudem alicuius positus.

Offensa, - ae.

Phil. 1. 10. Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi.

Illud e participio fictum nomen substantivum, Goelzerii sententia, usitatissimum fuisse apud bonae aetatis scriptores. Quamquam illud legitur etiam bona aetate, ut apud Ovidium, Coelium, etiam Ciceronem, tamen in optimis eius aetatis operibus offensae nomen omnino abest, nam Cicero illa voce tantummodo semel in epistolis est usus. Caesar illud vocabulum omnino non adhibet. Multo saepius tamen illam vocem legimus apud corruptioris dicendi generis scriptores, ut apud Petronium, Celsum, Columellam et alios posterioris temporis ethnicos scriptores, etiam apud ecclesiasticos, velut apud Hieronymum.

Rapina, - ae.

Philipp. 2. 6. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.

Illud vocabulum in magno usu apud Ciceronem fuit. Tantum in orationibus illo est usus Cicero 26-ies. Etiam Caesar illam vocem usurpat. Tamen Caesar, Cicero et Sallustius hanc vocem tantummodo numero plurali adhibuerunt. Singulari numero ra-

pinae vox legitur inde a bonae aetatis poetis usque ad septimum saeculum. Vocabulo singulari numero est usus Ovidius, Lucanus, Livius, Plinius Maior, Petronius, Valerius Maximus, Columella, Fronto, Apuleius et alii posterioris temporis scriptores, etiam iurisconsulti, denique ecclesiastici: Ven. Fort. carm. 11. 14. 5. o venerandus amor, cuius faciente rapina subtracta specie venit imago mihi!

S p o r t a, - a e.

2. Cor. 11. 33. Et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus eius.

Illud vocabulum in litteris Latinis legitur inde a Catone usque ad septimum saeculum. Optimi tamen scriptores illa voce admodum non sunt usi. Vox invenitur apud Sallustium, Columellam, Plinium Maiorem, Petronium et apud Christianorum temporis scriptores (cf. Hieronymum, Isidorium).

V u l v a, - a e.

Rom. 4. 19. emortuam vulvam Sarae.

Vox legitur inde a Varrone et Horatio praecipue apud scriptores primi post Christum natum saeculi (cf. Plinium, Petronium, Celsum, Persium, Martialem, Iuvenalem). Praeterea vocem adhibuerunt ecclesiasticorum aetatis scriptores usque ad septimum saeculum (cf. Macrobium, Hieronymum, Isidorum). Vocabulum invenitur etiam in Inscriptionibus Latinis: Diehl, Vulgärlat. Inschr. 851. (75.) ulvas (pro vulvas). Illud substantivum ab optimis scriptoribus vitatum esse videtur hac de causa, quod turpe dictu videretur. Vulva Francogallice vulve dicitur.

2. De substantivis derivativis in - ia exeuntibus.

Non solum in apostolorum epistolis quae legantur in - ia exeuntia inde ab ecclesiasticorum tempore derivata substantiva, sed etiam fere omnia cetera posteriore tempore quae in conspectum venerint, a participio praesentis activi derivata sunt. Superioribus tamen temporibus, ut Goelzer refert (De Hieronymi Latinitate, p. 101.), etiam ab adiectivis in - ia exeuntia substantiva formari solebant, velut gratia, miseria, avaritia, ferocia, quae derivata sunt ab adiectivis aut tres, aut unum exitum habentibus. Superiorum temporum consuetudine ficta sunt substantiva immunditia et vesania ab adiectivis secundae decli-

nationis et substantivum primitiae denominatum est a primus, quod proprie adiectivi gradus superlativus est. Cetera substantiva, de quibus videatur infra, a participio praesentis derivata sunt. Intelligentiae et vinolentiae nomina substantiva in apostolorum epistolis plurali numero adhibentur, ut omnino in vulgari sermone voces cogitationi tantum subiectae adhiberi solent.

D i f f i d e n t i a, - a e.

Rom. 4.20. In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia. Ephes. 2. 2. qui nunc operatur in filios diffidentiae. Ibid. 5. 6. propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae.

Diffidentia proprie est actus diffidendi. Apud scriptores ecclesiasticos diffidentia etiam virtuti fidei opponitur. Goelzer et Roensch tantum ecclesiasticam significationem referunt. Mihi tamen etiam illa significatione, in qua nata est vox, vulgaris esse videtur, nam, ut lexica referunt, in litteris Latinis admodum raro legitur: Caesar illam omnino non adhibet, Cicero illo vocabulo tantummodo bis usus est. In orationibus diffidentiae vocabulum admodum non legitur, nam Cicero illud vitat et pluribus verbis eandem sententiam exponit. Vocabulo usus est Ovidius, Sallustius, Plinius, Quintilianus, Hieronymus, Paulinus Nolanus. Plures scriptores indices verborum non referunt.

I m m u n d i t i a, - a e.

Rom. 1. 24. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam. Ibid. 6. 19. exhibuistis membra vestra servire immunditiae. Ephes. 5. 3. Fornicatio autem, et omnis immunditia.

Vocabulum, quamquam iam inde a Plauto et Catone legitur, apud boni tamen temporis scriptores non invenitur. Usus est illa voce etiam Columella et scriptores ecclesiastici, velut Tertullianus, Eugippus, Cassiodorus.

I n s t a n t i a - a e.

Ephes. 6. 18. In ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis.

Instantia apud Apuleium, iurisconsultos et ecclesiasticos (cf. Tertullianum) est diligens et assidua petitio, flagitatio. Aliquid alia vi vocabulum in usu fuit apud Plinium Iuniorem, Ennodium et Boethium. Apud illos scriptores instantia est actus urgendi aliquid, vis, vehementia. Propria significatione instantia est conditio eius, qui instans est, praesentia temporis. Illa significatione vox exstat apud Boethium. Nonnulli illud vocabu-

lum illa significatione, in qua nata est vox, etiam Ciceroni tribuunt: Cic. Fat. 12. Ut praeterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerit instantia; sic futura, quorum consequenti tempore vera erit, instantia, ea vera dicemus. Alii tamen „vera fuerint et erint" legunt, ut sit substantivum plurale (instans, - ntis, n.). Quamquam Roensch in suo libro" Itala et Vulgata" in pagina 329. mentionem fecit tantum de huius vocis significatione ecclesiastica, mihi tamen non multum abesse videtur, quin illam vocem omnino vulgarem putemus, nam Caesar illo vocabulo admodum non est usus, Cicero autem tantum uno dubio loco, eoque non in orationibus, sed in litteris ad philospohiam pertinentibus illud adhibuit.

I n t e l l i g e n t i a, - a e.

Philipp. 4. 7. pax Dei... custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Iesu.

Illud nomen substantivum plurali numero adhibitum legimus etiam apud Hieronymum.

P o e n i t e n t i a, - a e.

2. Cor. 7. 10. Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.

Non solum Caesar, sed etiam Cicero hac voce abstinuit, ut etiam Ausonius in epistolis suis notavit. Lactantius autem, quamquam illa voce est usus in inst. 6. 24. 8. Sic hominem poenitentia cautum ac diligentem facit ad evitanda peccata, alio tamen loco resipiscentiae vocem commendat: ibid. 6. Quem enim facti sui paenitet, errorem suum pristinum intellegit, ideoque Graeci melius et significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos Latine possumus resipiscentiam dicere. Quamquam non omnes ecclesiasticorum temporis scriptores poenitentiae vocem laudaverunt probaveruntque, ethnici tamen scriptores iam inde a Livio illa usi sunt. Vox legitur etiam apud Petronium, Plinium Maiorem, Florum, Phaedrum et alios scriptores. Praeterea illa usi sunt multi scriptores ecclesiastici (cf. Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum). Vox exstat etiam in Inscriptionibus Christianis.

P r i m i t i a e, - a r u m.

Rom. 2. 23. sed et nos ipsi primitias spiritus habentes.

Vocabulum, quamquam in usu fuit etiam apud bonae aetatis poetas, ut apud Ovidium, Vergilium, optimi tamen scriptores illo admodum non sunt usi. Vox magno in usu fuit apud primi

post Christum natum saeculi scriptores, praesertim poetas: Calpurnium Siculum, Valerium Flaccum, Silium Italicum. Usus est illa etiam Petronius, Tacitus, Gellius, Apuleius et ecclesiastici (cf. Augustinum, Alcimium Avitum). Vocabulum eo magis vulgare mihi esse videtur, quod etiam in linguas novicias transiit. Primitiae enim Italice primizie, Francogallice prémices, Hispanice et Portugallice primicias dicuntur.

V e s a n i a, - a e.

2. Petr. 2. 16. Correptionem vero habuit suae vesaniae. Vesaniae nomen legitur inde ab Horatio. Postea vocem aliquid posterioris temporis scriptores adhibent, velut Plinius Maior, Valerius Maximus, Annius Florus et ecclesiasticorum aetatis scriptores (cf. Ammianum Marcellinum).

V i n o l e n t i a, - a e.

1. Petr. 4. 3. Qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus.

Illo cogitationi tantum, non sensui subiecto vocabulo Cicero singulari modo numero aliquoties est usus. Caesar quidem illam vocem admodum non adhibet.

3. De substantivis derivativis in - tura (-sura) exeuntibus.

Apostolorum epistolis evidenter confirmatur sententia Goelzerii (De Hieronymi Latinitate, p. 88.), qui refert in - tura exeuntia substantiva apud optimos scriptores rarissima fuisse, Plinium autem Maiorem primum plura illa substantiva denominasse. Omnia enim substantiva, de quibus infra videatur, a Plinio Maiore denominata sunt.

C a p i l l a t u r a, - a e.

1. Petr. 3. 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura.

Vox, quamquam in litteris Latinis rara, nam illa usus est tantum Plinius Maior et nonnulli ecclesiastici scriptores tertii, quarti et quinti saeculi, in sermone tamen communi maiore in usu mihi videtur fuisse, nam in novicias linguas transiit. Capillatura nunc Italice capellatura, Hispanice cabelladura, Francogallice chevelure dicitur.

Plin. nat. 37. 190. Polythrix in viridi capillaturam ostendit.

F a c t u r a, - a e.

Eph. 2. 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis.

Vox legitur inde a Plinio Maiore usque ad septimum sae-

culum. Plin. nat. 34. 145. In nostro orbe aliubi vena bonitatem hanc praestat, ut in Noricis, aliubi factura.

Vocabulum in usu fuit apud Statium, Aulum Gellium et posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos inde ab Itala. Voce usus est Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Alcimius Avitus, Oribasius, Venantius Fortunatus et multi alii. Alc. Avit. carm. 1. 49. placet ipsa tuenti Artifici factura. Illa vox etiam in novicias linguas transiit. Italice fattura, Francogallice faiture, Valachice faptura dicitur.

P r e s s u r a, - a e.

Philipp. 1. 17. existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. 2. Cor. 1. 4. ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem.

Pressura est actus premendi. Apud scriptores ecclesiasticos tamen pressurae vox usurpatur praecipue significatione translata et est id quid afflictio. Illud vocabulum legitur inde a Plinio Maiore. Plin. nat. 18. 317. Pressura una culleos XX implere debet.

Voce usi sunt etiam alii posterioris temporis scriptores, velut Columella, Lucanus, Frontinus, Apuleius. Ecclesiasticorum temporis scriptores illa voce usi sunt usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Cassianum, Hieronymum, Augustinum, Caelium Aurelianum, Ps. Augustinum, Ennodium, Isidorum).

S c i s s u r a, - a e.

1. Cor. 11. 18. audio scissuras esse inter vos.

Vocabulum legitur in litteris Latinis inde a Plinio Maiore et Seneca philosopho usque ad septimum saeculum (cf. Cyprianum, Palladium, Luciferum, Isidorum). Plin. nat. 31. 79. Probatur quam maxime perspicuus, rectis scissuris.

4. De substantivis derivativis in - io exeuntibus.

Quae in apostolorum epistolis legantur in - io exeuntia vulgaria substantiva ante ecclesiasticorum tempus adhibita plurima aut post bonam aetatem, aut iam bona aetate ficta sunt. Notatu dignum esse mihi videtur, quod etiam nonnulla ex illis substantivis, quibus notiones sola mente percipiendae significentur, a verbis per anomatopoeiam a sono factis derivantur, velut susurratio et murmuratio, quae a verbis susurro et murmuro derivata sunt. Gubernationis vox tantummodo plurali numero vul-

garis est. De similiter cadentibus substantivis plura dixi de vocibus inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis disserens.

A c c e p t i o, - o n i s.

Rom. 2. 11. Non enim est acceptio personarum apud Deum. Ephes. 6. 9. et personarum acceptio non est apud Deum. Petr. 1. 17. sine acceptione personarum. 1. Tim. 1. 15. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus.

Vox quamquam legitur iam inde a bonae aetatis scriptoribus, tamen vitata est. Caesar vocem omnino non adhibet, Cicero uno tantum loco illa est usus: top. 37. nam neque deditionem neque donationem sine acceptione intellegi posse, ubi tamen post alias duas in - tio exeuntes voces posita, quasi attractionem formandi habet.

Acceptionis vocabulum in Vulgata et apud posterioris temporis scriptores aliam habet vim, ac laudato Ciceronis loco. Apud iurisconsultos et ecclesiasticos scriptores saepe dicitur de acceptione personarum, id est de aestimatione vel approbatione earum. Postremo ex supra laudatis Vulgatae locis acceptionis vox translata significatione adhibita est.

Nonnumquam acceptionis vox usurpatur alia forma. Pro acceptionis voce enim acceptatio dicitur: Tert. pudic. 5. personae acceptatio est.

Vox frequenter legitur apud ecclesiasticos scriptores inde a Cypriano usque ad septimum saeculum (cf. Irenaeum, Arnobium, Hieronymum, Augustinum, Fulgentium Ruspensem, Leonem Magnum, Oribasium, Boethium).

A c q u i s i t i o, - o n i s.

Ephes. 1. 14. Qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis. 1. Thessal. 5. 9. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis. 1. Petr. 2. 9. genus sancta, populus acquisitionis.

Acquisitionis vox apud bonae aetatis scriptores omnino non legitur. Illud vocabulum triplicem intellectum habet. Acquisitio imprimis est actio acquirendi servata praepositionis vi, augmentum, auctio. Hac isgnificatione vocabulo est usus Frontinus: id. aq. 10. adiuvatur et compluribus aliis adquisitionibus. Deinde acquisitio est actio adquirendi neglecta praepositionis vi, comparatio, quaestus. Hac significatione adhibita vox invenitur in Itala, Vulgata, apud nonnullos ecclesiasticos scriptores (cf.

Paulinum Nolanum, Augustinum, Faustum Reiensem). Maximo tamen in usu illa significatione vocabulum legitur apud iurisconsultos (cf. Scaevolae dig., Maeciani dig., Neratii dig., Ulpiani dig., Cod. Iust., Institut. etc.). Denique non tam in magno usu vocabulum adhibitum est tertia significatione (cf. Cassianum, Iuliani epit.). Apud hos scriptores acquisitio est id quod acquiritur, vel possidetur.

Aemulatio, - onis.

2. Cor. 12. 20. ne forte contentiones, aemulationes, animositates... sint inter vos. Rom. 10. 2. Testimonium enim perhibeo illis, quod aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. 2. Cor. 7. 7. referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram aemulationem pro me. Etiam 2. ibid. 7. 11, 2. ibid. 9. 2, 2. ibid. 11. 2, Philipp. 3. 6, Hebr. 10. 27.

Illa vox legitur inde a Cicerone, Tacitus illam maxime adamat. Illius vocis veram atque propriam significationem Cicero his definivit verbis: Id. Tusc. 4. 17. aemulatio dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in vitio nomen hoc sit; nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur, et est aemulatio aegritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat.

Apud scriptores ecclesiasticos quidem aemulatio est ardens studium, amor, ira, indignatio, et in bonam et in malam partem. Ex ecclesiasticis scriptoribus illam vocem adhibet Tertullianus, Augustinus, Orosius et alii. Plurali numero illud vocabulum rarissime legitur. Praeter laudatum Vulgatae locum invenitur illud etiam apud Ciceronem in Tusculanis disputationibus et apud Livium: Liv. 28. 40. 12. nedum ego perfunctus honoribus certamina mihi atque aemulationes cum adulescente florentissimo proponam. Quamquam nec Roensch nec Goelzer aut alii de hoc vocabulo mentionem fecerunt, mihi tamen etiam illa significatione, in qua est illud vocabulum natum, singulari etiam numero adhibitum vulgare esse videtur, nam Caesar omnino, Cicero autem in optimis litteris illud non adhibet. Cicero in Tusculanis tantum disputationibus aliquoties illa voce est usus, apud posterioris quidem temporis scriptores illud vocabulum multo maiore in usu fuit (cf. Columellam, Velleium, Petronium, Suetonium, Apuleium et multos alios): Petron. sat. 99. Neque enim in amantium potestate esse furiosam aemulationem. Etiam multi ecclesiastici scriptores, quod notatu dignum est, hanc vocem adhibent illa significatione, in qua est natum vocabulum:

Tert. anim. 57. quid novi aemulatio veritatis a spiritu immundo? Item consimiliter voce illa usus est Cyprianus, Hieronymus, Cassianus, Orosius, Sulpicius Severus et alii.

A g n i t i o, - o n i s.

Ephes. 4. 13. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei. 2 Petr. 2. 21. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem, retrorsum converti. Coloss. 2. 2. in agnitionem mysterii Dei Patris. Tit. 1. 1. et agnitionem veritatis. Deinde Ephes. 1. 17, Coloss. 3. 10, idem ibid. 1. 9, Philem. 1. 6. et alibi.

Vox rara apud antiquiores: semel adhibet Cicero, crebrescit inde a secundo saeculo: Cic. nat. deor. 1. 1. et perobscura quaestio est de natura deorum, quae ad cognitionem animi pulcherrima est... Cicero igitur hanc vocem vitavit, nam nullo alio loco illo est usus. Caesar quidem illa voce admodum non est usus. Vocabulum exstat apud Plinium Maiorem, Senecam philosophum, Apuleium, apud iurisconsultos et scriptores ecclesiasticos usque ad sexti saeculi exitum (cf. Cyprianum, Tertullianum, Novatianum, Ambrosium, Salvianum, Fulgentium Ruspensem, Alcimium Avitum, Cassiodorum et multos alios).

A p e r t i o, - o n i s.

Ephes. 6. 19. ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia.

Apertionis vox legitur inde a Varrone usque ad sexti saeculi exitum. Apud scriptores tamen boni temporis rarissime in usu fuit. Optimi scriptores vocem admodum non adhibent. Exstat illa apud Apuleium, Tertullianum, Ambrosium, Caelium Aurelianum, Augustinum, Gregorium Turonensem.

C o l l u c t a t i o, - o n i s.

Ephes. 6. 12. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem.

Colluctationis vocabulum legitur inde a Seneca philosopho, qui bis illo est usus; increbuit apud scriptores ecclesiasticos, apud quos in usu fuit usque ad septimum saeculum. Voce usus est Columella, Apuleius, Tertullianus, Novatianus, Augustinus, Leo Magnus, Cassiodorus et alii ecclesiastici scriptores, praeterea etiam iurisconsulti.

C o m m o n i t i o, - o n i s.

2. Petr. 1. 13. Iustum autem arbitror.... suscitare vos in commonitione. 2. ibid. 3. 1. secundam scribo epistolam, in qui-

bus excito in commonitione sinceram mentem.

Commonitionis vocabulum ante Quintilianum in litteris Latinis non legitur. Illo vocabulo usi sunt posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiastici, usque ad septimum saeculum. Vox exstat apud Arnobium, Augustinum, Gregorium Turonensem, Cassiodorum, praeterea apud iurisconsultos (cf. Cod. Iust., Cod. Theodos., Leg. Visig.).

C o n d e m n a t i o, - o n i s.

Rom. 5. 16. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem. 2. Cor. 7. 3. Non ad condemnationem vestram dico.

Goelzer in suo libro „De S. Hieronymi Latinitate" in pag. 65. dicit hanc vocem usurpatam esse ab Ulpiano, Asconio, Hieronymo. „Antibarbarus" autem hunc Goelzerii locum indicans hoc vocabulum esse usurpatum tantum ab Asconio, iurisconsultis et scriptoribus ecclesiasticis confirmare audet. Quamquam non solum apud Georgem, sed etiam in Totius Latinitatis Lexico nihil est, quod his „Antibarbari" verbis contradicere posset, tamen Thesaurus Linguae Latinae quoddam „Antibarbari" mendacium nobis monstrat, cum hoc vocabulum praeter Ciceronem neminem habere scriptorum bonae aetatis dicit. Nobis igitur disserendum est de huius vocabuli usu apud Ciceronem. Apud illum enim hanc vocem legimus duobus locis in oratione pro Cluentio. Prior illius orationis locus, ubi Cicero hoc vocabulum adhibet, est illud Cluent. 83. At condemnavit. Hanc enim condemnationem dederat obsidem Bulbo et ceteris, ut destitutus ab Opianico videretur. Hoc loco illius insoliti nominis usum possumus explicare ea re, quod prope est condemnandi verbum. Iuxta condemnandi verbum hoc loco Cicero noluisse videtur damnationis nomen ponere, quia accurate et exquisite dicere voluit atque ideo damnationis vocabulo etiam praefixum conadiunxit ut voce iucundius esset.

Alter locus est Cluent. 135. quod is ob Opianici condemnationem pecuniam accepisset. Hic Ciceronis mens ab Opianico transiit ad condemnationem, quae voces etiam in Cluent. 83. non procul inter se distabant. In ceteris quidem Ciceronis scriptis condemnationis vox admodum non legitur, nam occasio loquendi de Opianici condemnatione affuisse videtur.

Praeter hos Ciceronis locos vox frequentissime legitur apud iurisconsultos et Christianos scriptores. Gaius inst. 3. 180. post litem contestatam condemnari oportere debitorem, post con-

demnationem iudicatum facere oportere, et alibi. Deinde legitur in Ulpiani, Modesti, Pauli digestis, in Codice Theodosiano, Codice Iustiniano et alibi. Vocem legimus etiam apud Ambrosium, Arnobium, Rufinum, Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum, Apringium et alios scriptores Christianos.

Conflictatio, - onis.

1. Tim. 6. 5. Conflictationes hominum mente corruptorum.

Voce usus est Quintilianus, Gellius, Apuleius et posterioris temporis alii scriptores, praesertim ecclesiastici et iurisconsulti tertii, quarti, quinti etiam sexti saeculi. Vox exstat apud Tertullianum, Martianum Capellam, Orosium, Augustinum, Boethium.

Consummatio, - onis.

2. Cor. 13. 9. Hoc et oramus vestram consummationem. Ephes. 4. 12. Ad consummationem sanctorum. Hebr. 6. 8. Cuius consummatio in combustionem.

Consummationis vox legitur inde a Velleio Paterculo apud scriptores, potissimum ecclesiasticos; deest poetis. In usu fuit usque ad septimum saeculum. Vocabulum legitur apud Columellam, Quintilianum, Marium Victorinum, Cyprianum, Charisium, Martianum Capellam, Alcimium Avitum, Gregorium Turonensem et multos alios. Praeterea vox exstat apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis.

Contritio, - onis.

Rom. 3. 16. Contritio et infelicitas in viis eorum.

Vox legitur inde a primo saeculo post Christum natum apud posterioris temporis scriptores, praesertim apud quarti, quinti et sexti saeculi ecclesiasticos. Usus est illa Seneca rhetor, Lactantius, Hieronymus, Rufinus, Caelius Aurelianus, Orosius, Augustinus, Leo Magnus, Gregorius Turonensis, Cassiodorus et multi alii scriptores.

Conversatio, - onis.

Gal. 1. 13. Audistis enim conversationem meam aliquando in Iudaismo. Philipp. 3. 20. Nostra autem conversatio in coelis est. 1. Petr. 2. 12. Conversationem vestram inter gentes habentes bonam.

Conversationis vox ante primum saeculum post Christum natum omnino non legitur, tamen inde a primo usque ad septimum saeculum in magno fuit usu. Vocabulum adhibet Velleius, Seneca philosophus, Plinius Maior, Quintilianus, Apuleius, deinde ecclesiastici: Tertullianus, Augustinus, Alcimius Avitus,

Cassiodorus et multi alii. Praeterea etiam apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis legitur.

Correptio, -onis.

Ephes. 6. 4. sed educate illos in disciplina, et correptione Domini. 1. Cor. 10. 11. scripta sunt autem ad correptionem nostram. 2. Petr. 2. 16. Correptionem vero habuit suae vesaniae.

Correptionis vox legitur inde a Vitruvio, magno in usu fuit apud grammaticos et scriptores ecclesiasticos, saepe etiam apud iurisconsultos legitur. Vocabulum in usu fuit usque ad septimum saeculum (cf. Cassiodorum, Gregorium Magnum).

Depositio, -onis.

2. Petr. 1. 14. Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei.

Depositionis voce boni temporis scriptores non sunt usi. Legitur illa inde a Quintiliano apud posterioris temporis scriptores usque ad septimum saeculum. Vocabulo usus est Cassianus, Vegetius, Chalcidius, Marius Victorinus, Gregorius Magnus et alii scriptores. Vox exstat etiam in Inscriptionibus Latinis et apud iurisconsultos.

Destructio, -onis.

2. Cor. 13. 10. secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem. 2. ibid. 10. 4. Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.

Destructionis vox legitur inde a Propertio. Usus est illa voce Silius, Quintilianus, Suetonius et posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiastici (cf. Tertullianum, Hieronymum, Claudianum). Lingua Pedemontana destructio destrüčona dicitur.

Dilectio, -onis.

Ephes. 1. 15. Propterea et ego audiens fidem vestram ...et dilectionem in omnes sanctos. Ibid. 5. 2. Et ambulate in dilectione. Iud. 21. Vosmetipsos in dilectione Dei servate.

Voce usus est Quintilianus in declamationibus et ecclesiastici: Tertullianus, Hieronymus, Salvianus, Augustinus, Sidonius et alii.

Electio, -onis.

Rom. 11. 5. reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt. 2. Petr. 1. 10. magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.

Electionis vocabulum legitur inde a Varrone, adhibitum est etiam ab iurisconsultis et secundi saeculi scriptoribus, maximum tamen in usum venit apud ecclesiasticos, apud quos usque ad septimum saeculum legitur. Optimi Latini scriptores illa voce non sunt usi, nisi Cicero bis in rhetoricis scriptis. Neque in orationibus neque in ceteris scriptis electionis voce Cicero est usus, selectionis quidem vocem saepius in litteris ad philosophiam pertinentibus adhibet. Electionis voce usus est Petronius, Plinius Iunior, Velleius, Tacitus, Apuleius et alii eius temporis scriptores, praeterea ecclesiastici: Tertullianus, Hieronymus, Alcimius Avitus, Venantius Fortunatus, Gregorius Magnus et multi alii. Alc. Avit. epist. 88. p. 97.30. ei, quem post me... electio vestra decreverit.

Exhortatio, -onis.

2. Cor. 1. 4. ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi. 1. ibid. 14. 3. qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem. 1. Tim. 4. 13. attende lectioni, exhortationi, et doctrinae.

Optimi Latini scriptores illam vocem omnino non adhibent. Vocabulum tamen iam bona aetate in litteris Latinis in usu fuit: Planc. ad Cic. 10. Fam. 7. Quae et tua exhortatione excepi, et mea affirmatione tibi recepi. Legitur etiam apud Columellam, Petronium, Tacitum, Iustinum, Quintilianum et ecclesiasticos (cf. Ps. Cyprianum). Sequiore aetate vox in litteris Latinis rara est.

Fatigatio, -onis.

1. Thessalon. 2. 9. Memores enim estis, fratres, laboris nostri et fatigationis. 2. ibid. 3. 8. Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, et in fatigatione.

Vox legitur inde a Livio usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Vegetium, Chironem, Leonem Magnum, Gregorium Magnum). Fatigationis vox invenitur etiam apud Celsum, Columellam, Quintilianum, Apuleium et multos alios posterioris temporis scriptores. Optimi tamen Latini scriptores pro fatigationis voce defatigationis vocabulum ponunt. Etiam fatigandi verbum vitatum esse videtur, nam in Ciceronis operibus legitur rarius quam defatigandi, in orationibus autem omnino non est adhibitum. Apud Caesarem defatigandi vox legitur saepe, fatigandi quidem nullo certo loco.

G l o r i a t i o, - o n i s.

1. Cor. 5. 6. Non est bona gloriatio vestra. 2. ibid. 7. 4. multa mihi gloriatio pro vobis. 1. ibid. 7. 14. ita et gloriatio nostra, quae fuit apud Titum. 1. ibid. 11. 10. quoniam haec gloriatio non infringetur in me. Rom. 3. 27. Ubi est ergo gloriatio tua?

Gloriationis vocabulum in litteris Latinis legitur inde a Cicerone, qui bis in libris ad philosophiam pertinentibus illo est usus: id. 3. Fin. 8. quis aut de misera vita possit gloriari aut de non beata. De sola igitur beata. Ex quo efficitur, gloriatione, ut ita dicam, dignam esse beatam vitam. Hoc loco Cicero post gloriandi verbum gloriationis nomen substantivum posuit, tamen illud non approbavit, nam „ut ita dicam" huic substantivo addidit. Cicero gloriationis vocabulo alio loco non est usus, nisi semel in eadem compositione verborum: 4. Fin. 18. Illud vero minime consectarium... illorum ... gloriatione dignam esse beatam vitam.

Apud ecclesiasticos vero scriptores illud vocabulum in magno fuit usu inde ab Itala usque ad sexti saeculi exitum. Vox exstat apud Hilarium, Hieronymum, Augustinum, Primasium.

G u b e r n a t i o, - o n i s.

1. Cor. 12. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos... deinde virtutes... opitulationes, gubernationes, genera linguarum.

Goelzer gubernationis voce Ciceronem aliquoties usum esse, deinde autem illud vocabulum non apparuisse in litteris Latinis usque ad Novatianum confirmat. Gubernationis vox non est rara in Ciceronis scriptis, legitur aliquoties etiam in orationibus. Ideo non vulgaris esse mihi videtur. Pluralis tantum numeri usus insolitus est, nam Cicero plurali numero illam vocem admodum non adhibet. Pluralis numerus sola mente percipiendas notiones exprimentium vocum, de qua re iam mentionem feci, vulgo insolitus est.

I l l u m i n a t i o, - o n i s.

2. Cor. 4. 4. In quibus Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi. 2. Tim. 1. 10. manifestata est autem nunc (gratia) per illuminationem Salvatoris nostri.

Vocabulum legitur inde a Quintiliano apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos. Illuminatio proprie est actus illuminandi. Apud scriptores ecclesiasticos vero vox

speciatim usurpatur et de effectu gratiae ac fidei dicitur. Vocabulum in usu fuit apud Tertullianum, Irenaeum, Macrobium, Hieronymum.

Ministratio, - onis.

1. Cor. 12. 5. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. 2. Cor. 3. 7. Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria. 2. ibid. 3. 8. Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis...

Vocabulum est infimae aetatis et legitur in Inscriptionibus apud Grut. 592. 9 Cointo Aug. lib. a frum. ministrat. (h. e. a frumenti ministratione), apud Vitruvium et quinti exeuntis saeculi ecclesiasticos: Vigilium Thapsensem, Ps. Primasium.

Murmuratio, - onis.

Philipp. 2. 14. Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus.

Murmurationis vocabulum in litteris Latinis rarum esse videtur, nam lexica tantum apud nonnullos primi post Christum natum saeculi scriptores, ut apud Senecam philosophum, Plinium Maiorem et apud Augustinum indicant.

Operatio, - onis.

Jac. 3. 13. Ostendat ex bona conversatione operationem suam. 1. Cor. 12. 6. Et divisiones operationum sunt. 2. Thess. 2. 9. Cuius est adventus secundum operationem satanae. 2. ibid. 2. 10. Ideo mittit Deus illis operationem erroris. 1. Cor. 12. 10. Alii operatio virtutum, alii prophetia. Adde Ephes. 1. 19, ibid. 3. 7. et alibi.

Operationis vocabulum variis adhibitum est significationibus. Operatio proprie est actus operandi, opera, labor, opus. Supra laudatis Vulgatae locis operationis vox posita est pro studio, quod impenditur in virtutibus acquirendis, aut vitiis indulgendis. De hac translata vocis significatione Paucker in suo libro „De Latinitate B. Hieronymi" in p. 15. mentionem fecit. Roensch autem in suo libro „Itala et Vulgata" (p. 330.) hanc significationem praeteriit, refert tamen aliam, cum operatio ponitur pro misericordia et benignitate erga inopes. Illa significatione vocabulo usus est Cyprianus, Lactantius, Prudentius.

Mihi tamen non solum supra dictis significationibus, sed etiam aliis ceteris vocabulum vulgare esse videtur, nam optimi Latini scriptores illo non sunt usi. Sunt, qui putent etiam Ci-

ceronem illa voce usum esse: id. 6. Att. 3. Huius nebulonis operatione si Brutus moveri potest. Alii tamen rectius obiratione substituunt, alii oratione, alii oberratione.

Etiam certo illo Ciceronis loco vocabulum re vera vulgare putandum esset, nam epistolae minime diligenter elaboratae ex omnibus Ciceronis litteris sunt. Cicero admodum non molliens usu facile potuit e sermone communi sumere vocabulum, quo iam Plautus est usus.

O r d i n a t i o, - o n i s.

Rom. 13. 2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

Ordinationis vox legitur inde a Velleio. Ordinatio proprie est dispositio, qua significatione vox legitur apud Velleium, Plinium, Columellam et alios. In architectura ordinatio est i. q. Graece τάξις. In re publica ordinatio est compositio, administratio. Apud scriptores ecclesiasticos ordinatio est aut promotio ad munus sive officium aliquod in ecclesia Christi aliquo ritu, aut potestas sive magistratus. Ecclesiastica significatione adhibita vox legitur inde a tertio usque ad sexti saeculi exitum.

Ordinationis vox tamen non solum ecclesiastica, sed etiam aliis significationibus vulgaris est, nam non solum Caesar et Cicero, sed etiam alii bonae aetatis scriptores illa admodum non sunt usi.

P e r s e c u t i o, - onis.

2. Cor. 12. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis... in persecutionibus, in angustiis pro Christo.

Vocabulum legitur inde a Cornificio. Optimi scriptores illud non adhibent, nisi Cicero uno, eoque dubio loco: id. orat. 41. in altera persecutionum cautionumque praeceptio. Alii etiam „praescriptionum" legunt. Persecutionis vox legitur etiam apud Apuleium, iurisconsultos et ecclesiasticos scriptores usque ad sextum saeculum (cf. Tertullianum, Prosperum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. epist. 7. p. 34. 32. si tempus persecutionis absistat, martyrium quoddam plena confessio queat imitari.

Apud scriptores ecclesiasticos persecutio est insectatio, vexatio.

S u s u r r a t i o, - o n i s.

2. Cor. 12. 20. Ne forte contentiones, aemulationes ...detractiones, susurrationes, ...sint inter vos.

Illo vocabulo optimi Latini scriptores admodum non sunt

usi. Illud legitur inde a Caelio ad Ciceronis 8. epistolam ad Familiares usque ad sexti saeculi exitum (cf. Alcimium Avitum, Cassiodorum). Illud substantivum derivatum est a verbo susurro, quod a sono per onomatopoeiam factum est. Etiam illud verbum vulgare est, legitur enim praecipue apud poetas: Terentium, Ovidium, Vergilium et apud posterioris temporis orationis solutae scriptores. Optimi tamen scriptores illo verbo non sunt usi.

T e n t a t i o, - o n i s.

1. Cor. 10. 13. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Jac. 1. 2. cum in tentationes varias incideritis. 1. Tim. 6. 9. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli. 1. Petr. 1. 6. modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.

Nec Roensch, nec Paucker de hac voce mentionem faciunt, „Antibarbarus" autem tentamenti vocem omnino vulgarem esse putat, tentationis quidem probandam; Goelzer vero in suo libro „De Hieronymi Latinitate" in p. 231. et tentationem et tentamentum non vulgares voces esse, earum Christianam tantum significationem vulgarem esse putat. Mihi autem etiam illa significatione, in qua natum est vocabulum, vulgare esse videtur, nam optimi scriptores illo non sunt usi, nisi Cicero semel in epistolis, ubi de morbo agitur. Propria significatione etiam Livius est usus.

Apud scriptores ecclesiasticos tentatio est incitatio ad malum. Praeter Litteras Sacras ecclesiastica significatione illud vocabulum legitur etiam apud Tertullianum, Arnobium, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum. Alc. Avit. hom. lib. 28. p. 150. 34. velut Job nostri opes inter proelia temptationis amissae victoriae meritum patientia duplicante restituat. Alio tamen Alcimii Aviti loco illa vox propria significatione adhibita est: Alc. Avit. hom. lib. 21. p. 137. 34. Petrus... quamlibet conmotum ventis pelagus formidaret, adreptum tamen fluvidi itineris callem victor explicuit atque, undis ponti furentis velut hostilium turbinum molibus eluctatis, flatum temptationis adversae priusquam pede contigeret, fide contrivit.

T r a n s m u t a t i o, - o n i s.

Jac. 1. 17. apud quem (Patrem luminum) non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Boni temporis scriptores illo vocabulo non sunt usi. Vox

legitur apud Quintilianum, Diomedem, Iulianum, Marium Victorinum.

V o c a t i o, - o n i s.

Ephes. 1. 18. ut sciatis, quae sit spes vocationis eius. Rom. 11. 29. Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei. Hebr. 3. 1. vocationis coelestis participes. 2. Petr. 1. 10. ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis. 1. Cor. 7. 20. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

Vocatio est: 1) actus vocandi, 2) invitatio ad coenam, 3) actio vocandi in ius. Apud scriptores ecclesiasticos vocatio est actio divina, qua ad veram religionem invitamur, atque hinc ad vitam quoque aeternam. Item dicitur electio divina ad munus aliquod suscipiendum. Optimi Latini scriptores illa voce non sunt usi. Legitur tamen illa iam inde a Varrone et Catullo, adhibita etiam est a Gellio, Arnobio, Hilario, Hieronymo, Cassiano, Augustino, Alcimio Avito. Alc. Avit. c. Arr. 19. p. 8. Sed iam dudum huiusmodi credulitatem divinae vocationi Paulus debebat.

5. De substantivis derivativis in - tor (-sor) exeuntibus.

Etiam de hic disserendis substantivis eadem valent, quae de similiter cadentibus ecclesiasticorum tempore formatis dixi. Etiam haec omnia substantiva a verbis derivata sunt. Magna pars illorum iam inde a Plauto legitur et tantummodo apud posterioris temporis scriptores denuo in conspectum venit, velut criminator, dator, factor, malefactor. Detractoris vox tantummodo apud posterioris temporis scriptores legitur, aemulatoris et antecessoris inde a bona aetate.

A e m u l a t o r, - o r i s.

Gal. 1. 14. Et proficiebam in Iudaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum. I. Cor. 14. 12. aemulatores estis spirituum.

Optimi scriptores voce non sunt usi, nisi Cicero semel in epistolis: Att. 2. 1. 10. quod Sicyoni te laedunt, Catoni et eius aemulatori attribuis servilio. Vox legitur in Senecae epistolis, apud Apuleium et alios posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos inde a Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum (cf. Hilarium, Ambrosium, Ennodium, Boethium).

Antecessor, -oris.

Gal. 1. 17. Neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos.

Antecessoris vox apud boni temporis scriptores non legitur, nisi apud Belli Africani auctorem. Illud vocabulum in usu fuit apud Suetonium, Apuleium, iurisconsultos, ecclesiasticos scriptores tertii, quarti et quinti saeculi, etiam in Inscriptionibus Latinis (cf. Cyprianum, Tertullianum, Lactantium, Augustinum, Paul. dig., Legem Vis., Corp. VII. 451.).

Antecessor vetere Francogalliae lingua ancestre dicebatur, postea non fuit in usu, nisi plurali numero ancêtres, maiores.

Criminator, -oris.

2. Tim .3. 3. Erunt homines... sine pace, criminatores, incontinentes.

Vox quamquam apud bonae aetatis scriptores admodum non legitur, exstat tamen iam apud Plautum. Deinde illa usus est Tacitus et posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiastici, inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum. Vocabulum legitur apud Lactantium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Isidorum et alios scriptores, etiam iurisconsultos (Lex Visigothorum).

Dator, -oris.

2. Cor. 9. 7. hilarem enim datorem diligit Deus.

Datoris vocabulum exstat in litteris Latinis iam inde a Plauto (semel). Legitur etiam apud Vergilium (semel), Petronium et apud multo posterioris temporis scriptores (eclesiasticos). Vocem adhibet Irenaeus, Jul. Firmicus, Arnobius.

Detractor, -oris.

Rom. 1. 30. Detractores, Deo odibiles, contumeliosos.

Vox legitur inde a Tacito. Usi sunt illo vocabulo ecclesiastici scriptores: Cyprianus, Rufinus, Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus.

Factor, -oris.

Rom. 2. 13. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Jac. 1. 25. non auditor obliviosus factus, sed factor operis. Ibid. 4. 11. non est factor legis, sed iudex.

Illud vocabulum quamquam in litteris Latinis iam inde a Plauto et Catone legitur, apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos, denuo in usum, etiam maiorem ve-

nit, bonae aetatis tamen scriptores vocem non adhibent. Illa voce usus est Suetonius, iurisconsulti et ecclesiastici scriptores inde ab Itala usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Augustinum, Alcimium Avitum, Cassiodorum, Gregorium Turonensem).

Factor Italice facitore, fattore, Francogallice faiseur dicitur (Meyer - L. v. 2. p. 528, 394.).

M a l e f a c t o r, - o r i s.

1. Petr. 2. 12. quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus. 1. ibid. 2. 14. Sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum.

Illud vocabulum non solum abest apud bonae aetatis scriptores, sed etiam omnino in litteris Latinis rarum est, nam lexica non indicant, nisi apud Plautum et Hieronymum.

6. De substantivis derivativis in - tas exitum habentibus.

Etiam ante ecclesiasticorum tempus in apostolorum epistolis adhibita vulgaria nomina substantiva in - tas exeuntia ab adiectivis derivata sunt, unitatis tantum vocabulum denominatum est ab unus, a, um, quod proprie nomen numerale cardinale est. Plurima ex hic disserendis substantivis post bonam aetatem in usum venerunt, nonnulla bona aetate, saturitatis tantum vox inde a Plauto et unitatis inde a Varrone leguntur. Infirmitatis vox plurali modo numero vulgaris est. De similiter cadentibus substantivis derivativis plura iam de illis inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis disserens dixi.

C a p t i v i t a s, - a t i s.

2. Cor. 10. 5. in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Captivitatis vocabulum legitur inde a Seneca philosopho usque ad septimum saeculum post Christum natum. Voce usus est Petronius, Tacitus, Quintilianus, Apuleius; ecclesiastici: Tertullianus, Arnobius, Hieronymus, Augustinus, Alcimius Avitus, Gregorius Turonensis, Gregorius Magnus et multi alii. Vocabulum deinde adhibitum est a iurisconsultis et in Inscriptionibus Latinis.

Aliquid dicendum est etiam de illius vocabuli usu apud Ciceronem, nam nonnulli ante falso ei illud tribuerunt. Lagergren recte dicit illam vocem a boni temporis scriptoribus non adhi-

bitam esse. Quamquam Totius Latinitatis Lexicum et nonnulli alii indices verborum, ut Quicheratii index, Ciceronem illud vocabulum usurpavisse dicunt, recentiores tamen indices, ut Thesaurus Linguae Latinae, „Antibarbarus" illum errorem non admiserunt. Thesaurus Linguae Latinae recte igitur captivitatis vocem inde a Seneca philosopho in usum venisse confirmat.

E b r i e t a s, - a t i s.

Rom. 13. 13. Sicut in die honeste ambulemus; non in commessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus...

Optimi Latini scriptores ebrietatis vocem plurali numero omnino non adhibent. Plurali numero illa usus est Seneca philosophus, deinde Columella, Plinius Maior, Ps. Quintilianus et scriptores ecclesiastici inde a Tertulliano passim (cf. Augustinum, Gregorium Turonensem). Etiam singulari numero ebrietatis vox vulgaris mihi esse videtur, nam Caesar illa admodum non est usus, Cicero autem vitabat, nam uno tantum loco in Tusculanis disputationibus illam adhibet, apud posterioris autem temporis scriptores usque ad septimum saeculum vocabulum in maximo erat usu.

I n f i r m i t a s, - a t i s.

2. Cor. 12. 9. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis. Hebr. 4. 15. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.

Plurali numero adhibitam vocem legimus in Corp. Inscr. Lat. 8. 2728. 84: infirmitates meorum, apud Plinium Iuniorem, Minucium Felicem: Min. Felix 36. 8. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur.

Infirmitatis vox praeterea apud ecclesiasticos habet aliquid aliam vim atque apud ethnicos scriptores. Ecclesiastici illam vocem usurpant, cum de morbis animi et corruptione naturae agitur.

N u d i t a s, - a t i s.

2. Cor. 11. 27. in ieiuniis multis, in frigore et nuditate. Rom. 8. 35. tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum?

Nuditatis vox legitur apud Quintilianum, iurisconsultos et ecclesiasticos scriptores, ut apud Tertullianum, Lactantium, Augustinum, Sulpicium Severum et alios.

S a t u r i t a s, - a t i s.

Col. 2. 23. in honore aliquo ad saturitatem carnis.

Saturitatis vox legitur inde a Plauto. Plaut. Capt. 4. 1. 4. Offers mihi penum, potationes, saturitatem, gaudium, et alibi frequenter. Apud optimos scriptores vox non legitur, nisi apud Ciceronem: id Senect. 16. Neque solum officio, quod hominum generi cultura agrorum est salutaris; sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copiaque omnium rerum, quae ad victum hominum pertinent. Hoc Ciceronis loco saturitas est copia, abundantia. Praeter hunc locum apud Ciceronem saturitatis vocabulum nusquam legitur, non solum in orationibus, sed etiam in ceteris litteris. Abundantiae voce Cicero saepe est usus, copiae autem frequentissime. Caesar copiae vocabulum passim usurpat. Pro saturitate propria vi Cicero utitur satietatis voce, qua in orationibus tantum undecies est usus, in litteris ad philosophiam pertinentibus duodecies, et alibi. Haec Plauto adamata vox legitur etiam apud Plinium Maiorem et ecclesiasticos: Tertullianum, Cyprianum, Aurelium Victorem.

S c u r r i l i t a s, - a t i s.

Ephes. 5. 4. aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet.

Vox legitur apud posterioris temporis scriptores inde a Quintiliano et Tacito (cf. Porphyrium, Hieronymum, Sidonium).

S i n c e r i t a s, - a t i s.

1. Cor. 5. 8. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae: sed in azymis sinceritatis et veritatis. 2. ibid. 1. 12. testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei.

Vocabulum legitur inde a primo saeculo post Christum natum (cf. Columellam, Senecam rhet., Plinium Maiorem et alios). Usi sunt illo etiam iurisconsulti et ecclesiasticorum temporis scriptores, velut Hilarius, Phaedrus, Gelasius papa, Alcimius Avitus.

S u b l i m i t a s, - a t i s.

1. Tim. 2. 2. Pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt.

Vocabulum bona aetate in litteris Latinis non legitur. Sublimitatis nomen legitur inde a primo post Christum natum saeculo apud Plinium, Senecam, Quintilianum. Praeterea vox invenitur etiam apud ecclesiasticos scriptores, inde a Cypriano usque ad sexti saeculi exitum (cf. Hieronymum, Salvianum, Cassiodorum). Etiam iurisconsulti vocem usurpant.

Etiam sublimis, sublimare, sublimiter vulgares voces sunt. Sublime enim Cicero tantummodo pro adverbio adhibet.

U n i t a s, - a t i s.

Ephes. 4. 13. Donec occurramus omnes in unitatem fidei. Ibid. 4. 3. Soliciti servare unitatem Spiritus.

Unitatis vox legitur inde a Varrone, optimi tamen scriptores illam non adhibent. Magno in usu fuit apud primi post Christum natum saeculi et apud posterioris temporis, praesertim ecclesiasticos scriptores inde a Minucio Felice et Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf. Plinium, Celsum, Columellam, Frontinum, Gellium, Macrobium, Prudentium, Alcimium Avitum, Isidorum et alios. Alc. Avit. c. Arrian. 7. p. 4. 37. in unitatem personae solidata.

7. De substantivis derivativis in - tudo, - edo exeuntibus.

In - tudo exeuntia substantiva parum differunt ab illis, quae in - tus exitum habent. Nonnulla substantiva etiam utraque forma, eaque apud eosdem scriptores nonnumquam leguntur. Spissitudo apud Senecam philosophum et apud ecclesiasticorum temporis scriptores, spissitas apud Vitruvium, Plinium Maiorem legitur. Nonnulla substantivorum, velut firmitas et firmitudo, necessitas et necessitudo etiam bona aetate utraque forma adhibita sunt. Apud Plautum et firmitas et firmitudo, et suavitas et suavitudo legitur, Cicero iuxta beatitatis adhibet beatitudinis vocem.

Quamquam sunt nunnulla in - tudo exeuntia substantiva, quae sola illa forma bona aetate legantur, velut aegritudo, altitudo, multitudo et alia, bonae aetatis tamen scriptores in - tas exeuntes formas omnino praeferebant. In - tudo exeuntia substantiva praecipue antiquissimis poetis adamata sunt. Cicero ad triginta illis substantivis usus est. Inter bonam aetatem et ecclesiasticorum tempus nonnulli viri docti tantum septem simititer cadentia derivata substantiva inveniunt (Stolz, p. 556). Inde ab Hadriani tempore tamen in easdem litteras exeuntium substantivorum numerus multo maior factus est.

Fere omnia in - tudo exeuntium substantivorum ab adiectivis derivata sunt. Magis insolita similiter cadentia substantiva videntur illa, quae a verbis derivata sunt, velut poenitudo, valetudo. In apostolorum epistolis in easdem litteras exeuntia vul-

garia substantiva tantummodo ab adiectivis derivata inveni.

In - edo exeuntia substantiva longe non omnia ab adiectivis denominata sunt. Multa similiter exeuntium substantivorum, velut absumedo, cupido, putredo, ascedo et alia a verbis derivata sunt.

Nonnulla in - edo exeuntium substantivorum, velut nostrum pinguedinis vocabulum, altera modo forma in - tudo exeuntium substantivorum est. Etiam elidendo facta substantiva similiter ac pleniores formas habentia fere omnia denominata sunt ab adiectivis in - is et - us exeuntibus, velut albedo, turpedo, quae duabus litteris elisis albitudinis et turpitudinis vocum proprie breviores formae sunt.

A m a r i t u d o, - i n i s.

Ephes. 4. 31. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollantur a vobis. Rom. 3. 14. quorum os maledictione et amaritudine plenum est.

Amaritudinis vox legitur inde a Varrone usque ad sexti saeculi post Christum natum exitum. Deest apud Caesarem, Ciceronem, etiam Sallustium, Livium et in carminibus. In maximo tamen usu fuit apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos. Vocem adhibet Plinius Maior, Columella, Apuleius, Symmachus, Lactantius, Hieronymus, Augustinus, Orosius, Gregorius Turonensis et multi alii.

Vocabulum etiam in novicias linguas e lingua Latina ortas transiit. Francogallice enim amaritudo amertume dicitur.

B e a t i t u d o, - i n i s.

Gal. 4. 15. Ubi est ergo beatitudo vestra?

Vox rara apud ethnicos, frequens apud Christianos, maxime apud Augustinum. Optimi Latini scriptores illud vocabulum non adhibent, nisi Cicero uno loco, ubi tamen illud durum esse putat. Cic. nat. deor. 1. 95. ista, sive beatitas sive beatitudo dicenda est, utrumque omnino durum, sed usu mollienda nobis verba sunt. Illud Ciceronis etiam Quintillanus collaudat: Quint. inst. 8. 3. 32. in tractu et declinatione talia sunt, qualia apud Ciceronem beatitas et beatitudo, quae dura quidem sentit esse, verum tamen usu putat posse molliri. Ipse Cicero quidem beatitudinis vocem „usu non mollivit", nam illa iam iterum alicubi non est usus. E posterioris temporis scriptoribus beatitudinis voce usus est Petronius, Apuleius, Arnobius, Augustinus, Chalcidius, Marius Victorinus, Alcimius Avitus, Cassiodorus et multi

alii. Alc. Avit. hom. 7. p. 114, 43. casu quisque in amore conditoris sui et angelicae beatitudinis honore permansit. Praeterea vox legitur etiam apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis.

P i n g u e d o, - i n i s.

Rom. 11. 17. tu autem... insertus es in illis et socius radicis et pinguedinis olivae factus es.

Vocabulum ante Plinium Maiorem non legitur. Plin. nat. 12.35. (ante med.) nostrique unguentarii digerunt haud difficulter odoris atque pinguedinis argumentis. Gronovius tamen Plinium nunquam voce pinguedinis usum, sed pinguitudinis dicit. Voce usi sunt quarti, quinti, etiam sexti saeculi scriptores (cf. Servium, Palladium, Sidonium, Alcimium Avitum). Alc. Avit. carm. 6. 495. Accensum pura fovit pinguedine lumen. Alcimius Avitus pro pinguedine etiam pinguidinem ponit: Alc. Avit. carm. 3. 318. Et corrupta satis dira pinguidine tellus. Alii scriptores pro pinguedinis adhibent pinguitudinis vocabulum, quod, quamquam iam inde a Varrone legitur, apud optimos tamen scriptores in usu non fuit.

P l e n i t u d o, - i n i s.

Gal. 4. 4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Rom 11. 25. donec plenitudo Gentium intraret.

Plenitudinis vox legitur inde ab incerti auctoris litteris, quae de ratione dicendi ad C. Herennium inscriptae sunt. Optimi tamen Latini scriptores illam vocem non adhibent. Legitur illa etiam apud Cornificium, Plinium Maiorem, Columellam, Quintilianum et ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad septimum saeculum (cf. Macrobium, Cassianum, Hieronymum, Cassiodorum, Venantium Fortunatum). Ven. Fort. carm. 2. 2. 10. Quando venit ergo sacri plenitudo temporis.

8. De substantivis derivativis in - ium exeuntibus.

Ut iam de similiter cadentibus inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis substantivis dixi, plurima in - ium exeuntium substantivorum a verbis derivata sunt. Etiam ante ecclesiasticorum tempus in apostolorum epistolis quae legantur in easdem litteras exeuntia vulgaria substantiva maiore ex parte huc spectare possunt. Eloquium enim a verbo eloquor derivatum est, itemque opprobrium, quod a verbo opprobro derivari potest;

stultiloquium quamquam ab adiectivo stultiloquus denominatum est, illius adiectivi tamen posterior compositionis pars verbum loquor est.

E l o q u i u m, - i i.

Rom. 3. 2. credita sunt illis eloquia Dei.

Vocabulum in usu fuit etiam ante ecclesiasticorum tempus, praesertim apud poetas, apud quos etiam bona aetate legitur: Ovid. 1. Trist. 9. 46. Quaelibet eloquio fit bona causa tuo, et alibi. Vocem adhibet etiam Vergilius, Horatius, Statius, Silius, Iuvenalis, Lucanus, Velleius, Plinius Maior: Plin. nat. 11. 18. 1. suavitas praedulcis eloquii. Ecclesiastici scriptores vocabulum adhibuerunt inde a Minucio Felice usque ad septimum saeculum. Min. Fel. 26. 11. Eorum magorum et eloquio et negotio primus Hostanes. Legitur etiam apud Hieronymum, Alcimium Avitum, Venantium Fortunatum.

O p p r o b r i u m, - i i.

1. Tim. 3. 7. Oportet autem illum et testimonium habere bonum... ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. Hebr. 10. 33. opprobriis, et tribulationibus spectaculum facti.

Vox „Antibarbari" sententia bona aetate rara est. Legitur praecipue apud bonae aetatis poetas: Horatium, Ovidium, Catullum. Usus est illa voce Cornelius, etiam Cicero uno loco: id. rep. 4. 3. opprobrio fuisse adulescentibus, si amatores non haberent. Illa vox legitur etiam apud scriptores primi et initii secundi saeculi post Christum natum: apud Plinium, Tacitum, Suetonium et nonnullos alios. De illius vocabuli usu apud posterioris temporis scriptores lexica mentionem non faciunt. Vox invenitur etiam in Inscriptionibus Latinis et apud iurisconsultos.

S t u l t i l o q u i u m, - i i.

Ephes. 5. 4. Aut turpitudo, aut stultiloqium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet.

Haec antiqua vox, iam a Plauto usurpata, non legitur, nisi apud ecclesiasticorum temporis scriptores. Plaut. Mil. 2. 3. 25. (295). Nam tibi iam ut pereas paratum est dupliciter nisi supprimis tuom stultiloquium. Usus est illa voce etiam Irenaeus, Hieronymus.

9. De substantivis in - us exeuntibus.

Huc spectant duo substantiva: lumbus et olus, quae quam-

quam iam inde a Plauto usque ad sextum vel potius septimum saeculum in usu fuerunt, ab optimis tamen scriptoribus vitata sunt. Lumbi vocabulum, ut mihi videtur, vitabatur propterea quod obscoenum ducebatur, olus autem quod etiam ipsa res, quae illa voce nominabatur, praecipue in plebeio usu fuit. Illa pervulgata vox optimis scriptoribus nimis plebeia videri potuit.

Et olus et lumbus parum certae originis voces sunt.

L u m b u s, - i.

Hebr. 7. 5. quamquam et ipsi exierint de lumbis Abrahae. 1. Petr. 1. 13. Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam.

Lumbus proprie est pars corporis quinque inferiores spinae vertebras complectantes, a cinctura ad nates. Lumbi etiam turpis libidinis sedes dicuntur. Optimi Latini scriptores illam vocem omnino non adhibent, nisi Cicero in Arateorum fragmentis, illis vulgaris sermonis proprietatibus abundantissimis Ciceronis litteris, quarum auctor admodum adulescentulus etiam fuit. Vocabulum tamen iam inde a Plauto in usu fuit. Invenitur illud etiam apud Horatium, Martialem, Iuvenalem, Persium, Quintilianum, Celsum, Columellam, Petronium: Petron. sat. 140. sed et podagricum se esse lumborumque solutorum omnibus dixerat, ibid: ut... positisque in pavimento manibus dominum lumbis suis commoveret. Illa vox invenitur deinde in Inscriptionibus Latinis et in proverbio, quod apud Hieronymum legitur: id. ep. 82. 3. Lumbis patris habere se putat digitos grassiores. Etiam alii ecclesiasticorum temporis scriptores illa voce sunt usi, velut Capitolinus, Macrobius, Alcimius Avitus. Alc. Avit. carm. 6. 338. succinctis ad fortia proelia lumbis.

O l u s, - e r i s.

Rom. 14. 2. qui autem infirmus est, olus manducet.

Illud vocabulum legitur iam inde a Plauto, Catone et Lucilio. Usi sunt illo etiam poetae et orationis solutae scriptores, praesertim posterioris temporis: Vergilius, Persius, Varro, Plinius Maior, Columella, Petronius. Oleris vox in usu fuit usque ad septimum saeculum, nam illa etiam Venantius Fortunatus est usus: Ven. Fort. carm. 7. 24. f. 4. arma tibi campus, mensa ministret olus. Quamquam illa vox apud optimos scriptores omnino non legitur, in sermone communi tamen magno in usu fuisse videtur, nam et ipsa res, quae oleris nomine vocabatur, apud antiquos maximo in usu fuit. Olus enim proprie dicitur omnis

herba sativa, quae in cibum hominum venit. Id fuit cotidianus antiquorum victus, qui frugali tenuique mensa contenti, parvo coemptos cibos adamaverunt. Crescentibus inde divitiis, invectoque carnium et piscium usu, pauperiorum coenas instruxit. Hac de causa illud substantivum maiore in usu fuit apud illos scriptores et poetas, quorum litterae magis e sermone vulgari sumptis proprietatibus abundent.

10. De substantivis derivativis in - tus (-sus) exeuntibus.

In apostolorum epistolis, quod notatu dignum est, nullum substantivum in - tus exiens inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitum inveni. Ab optimis scriptoribus vitata, sed iam ante ecclesiasticorum tempus, vel potius iam ante bonam aetatem adhibita quattuor substantiva inveni. Non solum tamen in apostolorum epistolis, sed etiam apud plurimos ecclesiasticos scriptores similiter cadentia nova substantiva omnino raro leguntur. Inde ab Augusti aetate multis Latinis scriptoribus in - tus exeuntia subtsantiva adamata sunt. Iam Titus Livius illorum numerum aliquanto auxit. Plinius Maior, Seneca philosophus, Quintilianus et Tacitus plurima similiter cadentia substantiva derivaverunt. Tertullianus etiam multa in easdem litteras exeuntia substantiva derivavit, omnes tamen Historiae Augustae scriptores tantummode sex vel septem illa substantiva derivaverunt. Hieronymus et ceteri ecclesiastici scriptores fere omnino illa substantiva novare desierunt. In illorum locum ad exprimendas notiones, rerum a corpore seiunctarum et simplicium in - tio exitum habentia substantiva venerunt, quae quamquam aliquid aliam vim atque in - tus exeuntia habent, cum enim priora actionem, posteriora vero actionis eventum significant, utraque tamen et a verbis et simili modo derivata sunt.

Primatus alterius generis substantivum est. In - atus enim exeuntia substantiva non solum a verbis, velut incolatus, minoratus, sed etiam a nominibus substantivis, velut ancillatus, colonatus, ab adiectivis: celibatus, egregiatus denominata sunt. Nostrum substantivum primatus denominatum est a vocabulo primus, quod adiectivi gradus superlativus est. De substantivorum in - atus exeuntium usu iam de derivativis inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis disserens plura dixi.

G r e s s u s, - u s.

Hebr. 12. 13. Et gressus rectos facite pedibus.

Optimi Latini scriptores illam vocem admodum non adhibent, nisi Cicero uno eoque dubio loco: Cic. 1. off. 36. Ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus. Hic tamen librarius facile errare potuit, uno e duobus „in" omisso. Quamquam Totius Latinitatis Lexicum illum Ciceronis locum indicat, nonnulli tamen codices, quod mihi rectius videtur, „in ingressu" praebent. Ad eandem notionem exprimendam Cicero adhibet aut ingressus, aut gradus aut ambulationis vocem, nusquam tamen gressus vocabulo est usus. Illa vox legitur apud Vergilium et apud posterioris temporis scriptores, velut Celsum, Columellam, Valerium Maximum, Gellium, Arnobium, Symmachum, Ennodium, Eugyppum et alios.

Ecclesiastici scriptores illam vocem translata significatione adhibent. Apud rei agrariae scriptores gressus mensurae genus est.

O s t e n t u s, - u s.

Hebr. 6. 6. rursum cruci figentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes.

Quamquam vocabulum in litteris Latinis legitur iam inde a C. Graccho in illius orationibus, optimi tamen scriptores illo admodum non sunt usi. Vocem adhibet Sallustius, Tacitus, Gellius, Vopiscus.

P r i m a t u s, - u s.

3. Joann. 9. qui amat primatum gerere in eis. Coloss. 1. 18. ut sit in omnibus ipse primatum tenens.

Vox legitur apud Varronem, Plinium Maiorem, in Probi Appendice, apud Tertullianum, Rufinum, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, Casiodorum. Alc. Avit. epist. 25. p. 56. 24. Exercet apostolatus vester concessos a divinitate primatus.

P r o f e c t u s, - u s.

Philipp. 1. 12. quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii. Ibid. 1. 25. permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum. 1. Tim. 4. 15. ut profectus tuus manifestus sit omnibus.

Apud optimos Latinos scriptores illud vocabulum non legitur. Illa vox in conspectum venit inde a Varrone et in usu fuit usque ad sextum saeculum. Usus est illa Ovidius, Velleius, Co-

lumella, Seneca philosophus, ambo Plinii, Quintilianus, Suetonius, Symmachus, Ausonius, Caelius Aurelianus, Salvianus, Alcimius Avitus. Alc. Avit. hom. 7. p. 116. 25. post ...admonitiones, quae profectui nostro etiam secundum litteram constant. Etiam Livius, ut videtur, illa voce non est usus. Sunt quidem codices, qui illam vocem apud Livium praebeant: id. 1. 15. 7. ab illo enim profectu viribus datis tantum valuit. Nunc tamen illo loco rectius „profecto" legitur.

V o m i t u s, - u s.

2. Petr. 2. 22. Canis reversus ad suum vomitum, et: Sus lota in volutabro luti.

Vox legitur iam inde a Plauto, qui illo vocabulo aliquoties est usus. Optimi scriptores illud non adhibent. Vocabulum legitur etiam apud Curtium, Senecam philosophum, Plinium Maiorem, Celsum, Suetonium et apud ecclesiasticorum temporis scriptores, praesertim quarti et quinti saeculi, velut apud Augustinum, Caelium Aurelianum. Vox etiam in novicias linguas transiit. Italice enim vomitus dicitur vomito (Meyer - L. I. p. 182.).

11. De substantivis derivativis in - mentum (-men) exeuntibus.

Etiam ante ecclesiasticorum tempus adhibita illa vulgaria substantiva in apostolorum epistolis leguntur habentia pleniorem formam, qua orationis solutae scriptores magis uti solebant. Solum velamenti substantivum etiam breviore velaminis forma, eaque saepius quam altera adhibitum est.

De similiter cadentibus substantivis plura dixi de exeuntibus in - um inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis derivativis disserens.

F e r m e n t u m, - i.

1. Cor. 5. 8. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae. 1. ibid. 5. 6. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?

Vocabulum quamquam in magno usu fuit in litteris Latinis inde a Plauto usque ad septimum saeculum, apud optimos tamen scriptores admodum non legitur. Voce usus est frequenter Plautus, Vergilius (in Georgicis), Plinius Maior, Petronius, Celsus, Persius, Columella, Gellius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Alcimius Avitus, Gregorius Magnus et alii.

Fermentum Italice fermento, Hispanice hermianto, Francogallice ferment dicitur.

I n q u i n a m e n t u m, - i.

2. Cor. 7. 1. mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.

Inquinamenti vocabulum legitur apud Vitruvium, Gellium et ecclesiasticos scriptores tertii, quarti et quinti saeculi (cf. Tertullianum, Ambrosium, Hieronymum, Origenem et alios).

P u r g a m e n t u m, - i.

1. Cor. 4. 13. Blasphemamur et obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.

Optimi Latini scriptores purgamenti vocabulo non sunt usi. Primus illo est usus Livius: Liv. 1. 56. Cloacam maximam, receptaculum omnium purgamentorum urbis, sub terram agendam. Voce usi sunt etiam alii scriptores, praesertim primi post Christum natum saeculi, velut Petronius, Seneca philosophus, Plinius Maior, Tacitus et alii.

V e l a m e n, - i n i s.

2. Cor. 3. 13. Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam. Hebr. 10. 20. Quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est, carnem suam. Adde etiam 2. Cor. 3. 14, 2. ibid. 3. 15, 2. ibid. 3. 16.

Vox legitur inde a bonae aetatis poetis: Vergilio et Ovidio. Deide illam adhibet Seneca philosophus, Tacitus, Iuvenalis et ecclesiastici scriptores: Cyprianus, Tertullianus, Ambrosius, Gelasius papa.

V e l a m e n t u m, - i.

Hebr. 9. 3. Post velamentum autem secundum.

Velamenti vocabulum inde ab Ovidio legitur. Optimi scriptores illo non sunt usi. Adhibent illud praecipue primi post Christum natum saeculi scriptores, velut Seneca philosophus, Livius, Celsus, Tacitus. Vox rara videtur, nam lexica nisi Vulgatam et laudatos scriptores non referunt.

12. De substantivis derivativis in - lus, - culum, - brum exeuntibus.

In - lus, ex parte etiam in - culum exeuntia substantiva deminutiva sunt, ceteris in - culum exitum habentibus substan-

tivis instrumenti alicuius vis subiecta est, in - brum denique exeuntia aut instrumenti alicuius aut locorum vim habent. Antiquissimis temporibus Romani omnino derivativa vocabula adamaverunt, aliquid serius quidem illa tantummodo aut in communi sermone, aut apud vulgaris sermonis proprietatibus abundantissimos scriptores magno in usu fuerunt. Propterea illa substantiva praecipue apud comoediarum scriptores abundant. Apud Plautum plus 600 illa substantiva, eaque deminutiva significatione, apud Terentium plus 120 inveniuntur. Plurima deminutiva etiam in Ciceronis epistolis, in Vergilii Bucolicis leguntur, in Georgicis quidem et in Aeneide rara sunt. Magnus numerus illorum invenitur deinde in Horatii saturis et epistolis (in carminibus deminutiva vitata sunt), apud Petronium, in Apulei Metamorphosibus. In litteris ad philosophiam pertinentibus, etiam apud Apuleium, deminutiva rara sunt.

Ex exeuntibus in - culum substantivis vasculum est substantivis vas deminutivum, offendiculum quidem est illorum in - culum (-clum) exeuntium substantivorum, quae instrumenti notionem exprimant et maxima ex parte a verbis derivata sint. Nostrum offendiculi vocabulum ab offendendi verbo, gubernaculum a gubernandi derivatum est. Tabernaculi tamen vel tabernacli vox a substantivo taberna, clunaclum a vocabulo clunis derivatum est.

Inter bonam aetatem et ecclesiasticorum tempus illorum substantivorum numerus paulatim augebatur. Tres e quinque partibus illius temporis similiter cadentium substantivorum in - aculum exeunt. Significatio illorum per saecula non est mutata, instrumenti enim vis etiam posterioribus temporibus in - culum exeuntibus substantivis subiciebatur.

In - brum (feminini g. in - bra) exeuntibus substantivis aut instrumenti aut locorum vis subiecta est. Fere omnia illa substantiva, praesertim feminina, iam antiquissimis temporibus ficta sunt. Nonnulla illorum, velut dolabra, latebra, elecebra, perlecebra inde a Plauto leguntur, delubrum inde a Varrone, lavabrum inde a Lucretio (labrum inde a Plauto), pollubrum etiam inde a Livio Andronico legitur. Posterioribus temporibus illa substantiva Stolzii sententia p. 566.) admodum non fingebantur.

Nostrum volutabri vocabulum in sermone communi magno in usu fuisse videtur, etiam proverbii speciem habet, optimi

tamen Latini scriptores illud in suas litteras non receperunt, propterea quod, ut mihi videtur, et significatione et usu pervulgare illis visum est. Bona aetate poeta Vergilius tantum illo in litteris insolito, poetis tamen propter quandam licentiam permisso vocabulo est usus in Georgicis, ubi de apris agitur, quasi in rebus cotidianis etiam poetis sermoni vulgari aliquid concedendum esse sentiens.

Filiolus, - i.

Gal. 4. 19. Filioli mei, quos iterum parturio. 1. Joann. 5. 21. Filioli, custodite vos a simulachris. 1. ibid. 2. 1. Filioli mei, baec scribo vobis. Etiam 1. ibid. 2. 12, 1. ibid. 2. 18, 1. ibid. 2. 28, 1. ibid. 3. 7, 1. ibid. 3. 18. et alibi frequenter.

Illud deminutivum substantivum quamquam in usu fuit iam inde a Plauto usque ad septimum saeculum, apud optimos tamen scriptores non legitur, nisi apud Ciceronem in epistolis. Vox exstat aliquoties apud Plautum, Valerium Maximum, in Itala, apud Tertullianum, Hieronymum, in Palladii historia monachorum et apud nonnullos alios scriptores. Vocabulum quamquam in litteris Latinis rarum fuit, transiit tamen in novicias linguas e lingua Latina ortas: filiolus enim Italice figliuolo, Francogallice filleul, Hispanice hijuelo dicitur.

Offendiculum, - i.

Rom. 14. 13. sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. 1. Cor. 8. 9. Videte autem, ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 1. ibid. 9. 12. Sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.

E scriptoribus ethnicis offendiculi vocem adhibet Plinius maior. Praeterea illa usi sunt etiam multi scriptores ecclesiastici, praesertim tertii et quarti saeculi (cf. Cyprianum, Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Paulinum Nolanum).

Vasculum, - i.

1. Petr. 3. 7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.

Vox legitur inde a Plauto: id. Trin. 4. 2. 46. Est minusculum alterum, quasi vasculum vinarium. Ritschel tamen vesculum vinarium legit, apud Leonem vero vixillum exstat. Vasculi vox deinde legitur propria significatione apud Catonem, id. agr. 111. Si voles scire, in vinum aqua addita sit necne, vasculum facito de materia hederacia. Deinde vox legitur apud primi saeculi

post Christum natum scriptores: Petronium, Quintilianum. Apud Petronium vasculum est peculium. Apud scriptores ecclesiasticos vasculum est corpus humanum. In litteris illud substantivum legitur usque ad sexti saeculi exitum (cf. Prudentium, Salvianum, Alc. Avit., Casiodorum).

V o l u t a b r u m, - i.

2. Petr. 2. 22. Sus lota in volutabro luti.

Volutabrum est locus, in quo sues volvuntur. Quamquam apud bonae aetatis orationis solutae scriptores illa vox non invenitur, legitur tamen apud Vergilium. Verg. Georg. 3. 411. Saepe volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens. Usus est illa etiam Solinus et scriptores ecclesiastici: Arnobius, Salvianus, Sidonius. Hic laudato loco illud vocabulum proverbialiter adhibitum est.

13. De adiectivis substantivorum more adhibitis.

De substantivorum more adhibitis adiectivis plura dixi substantiva inde ab ecclesiasticorum tempore quae legantur disserens. Huc spectare potest etiam altare. Goelzer enim (De S. Hieronymi Latinitate, 97.) in - ale, - are exeuntia substantiva proprie adiectiva substantivorum more adhibita esse confirmat. Plurima illorum tamen adiectivorum forma non leguntur.

A l t a r e, - i s.

Hebr. 13. 10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Id. 7. 13. In quo enim haec dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari praesto fuit. 1. Cor. 9. 13. et qui altari deserviunt, cum altari participant.

Altare, altar et altarium sunt voces, quarum una singulari numero inde a Petronio legitur, in maiorem tamen usum venit apud multo posterioris temporis scriptores, aliae duae leguntur apud scriptores, qui multo post Petronium vixerunt. Petron. sat. 135. mensam... posuit in medio altari, quam vivis implevit carbonibus. Apud scriptores antiquiores non traditur nisi pluralis tam pro singulari, quam pro compluribus altaribus. Caesar aliqua illius vocis forma admodum non est usus, Cicero quidem plurali tantum numero (etiam in orationibus) illud vocabulum adhibet. Altare legitur etiam apud Festum, Apuleium et passim apud scriptores Christianos, velut apud Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, Gregorium Turonensem

et multos alios. Alc. Avit. hom. lib. 24. p. 145. 21. Qui in tribunali unus prae omnibus, in altari unus ex omnibus. Goelzer (De S. Hieronymi Latinitate, p. 282.) „altaris loco altarium“ dicit, quasi altare probata forma esset. Ex harum vocum usu tamen patet Goelzerium quoddam mendum admisisse, nam singulari numero non solum altarium, sed etiam altare et altar vulgaria vocabula sunt.

Serotinum, - i.

Jac. 5. 7. agricola expectat pretiosum fructum terrae patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum.

Adiectivum serotinus est qui sero venit, et dicitur de pomis et aliis rebus, quae tardius maturescunt, aut veniunt, aut fiunt. Vox legitur apud Plinium Maiorem, Columellam, Senecam rhetorem. Supra laudato vulgatae loco serotinum substantivorum more adhibetur et est *imber serotinus*. Legitur apud ecclesiasticos scriptores et in Inscriptionibus Latinis (cf. Augustinum). Diehl Inscript. Latinae vulgares Nr. 850. (p. 74.) patiatur febris frigus tortionis palloris sudores obbripi lationis meridianas interdianas serutinas nocturnas ab hac ora...

c) De substantivis apud ecclesiasticos alia vi atque apud optimos scriptores adhibitis.

In apostolorum epistolis leguntur multa nomina substantiva, quae etiam apud optimos scriptores in usu erant, apud ecclesiasticos tamen alia vi ad exprimendas notiones ad religionem Christianam pertinentes adhibita sunt. Non mirandum est vocum significationes mutatas esse, nam etiam ipsae res, quas illae voces exprimunt, omnino mutatae sunt.

Plurimarum vocum notionibus praeter sententiam graviorem etiam cogitatio minor subiecta est. Praeterea etiam animi motus, qui affectione in nobis gignuntur, multum valent. Desertor apud Christianos est ille, qui veram religionem dereliquit. Hic neque animi affectus neque sentetia gravissima mutata est, cogitatio minor tantummodo est alia atque apud ethnicos. Ethnicis enim desertor est qui exercitum, Christianis vero qui doctrinam ac dogmata Christi dereliquit.

Fieri potest etiam vocem nullam sententiam minorem habuisse, velut seductionis vel seducendi vox. Ante ecclesiasticorum tempus seducere tantummodo seorsum ducere, seductio au-

tem seorsum ductio fuit. Ecclesiasticorum tempore illarum vocum sententiae longius progressae sunt, atque inde cogitationes minores profectae sunt. Christianis seducere in peccatum inducere fuit, seductionis autem voce utebantur, cum de iis, qui in peccatum inducunt, agebatur. Utraque vox etiam ecclesiasticorum tempore propria significatione in usu fuit. Ab eodem seducendi verbo aliud seductoris vocabulum derivatum in diaboli locum venit et tantummodo illa translata significatione vel potius cogitatione minore adhibebatur.

Quo modo animi motu res aestimetur, ex humilitatis vel humilis vocum usu cognoscere possumus. Ethnici illas voces ad exprimendas notiones rerum contemnendarum adhibuerunt, Christianis quidem humilitas virtus fuit.

Adiectivum credulus in omnium communi sermone, praesertim in litteris ad vituperatione digni hominis notionem exprimendam usurpabatur, apud Christianos vero illud vocabulum denuo in bonam partem sumitur, cum de eo, qui in Deum credit agitur. Illius vocis Christiana significatio e vulgo sumpta est. Credulitas, incredulus, incredulitas apud plebem in maiore usu fuit, at contra apud litteris docte eruditos homines devotus et fidelis frequentius adhibita adiectiva sunt.

Nostrum supplementi vocabulum apud optimos scriptores, velut Caesarem, Ciceronem, cogitationis minoris vim habet, cum de certo militum numero ad legionem implendam agitur, apud posterioris quidem temporis scriptores inde a Velleio et ecclesiasticos hoc vocabulum illa significatione, in qua est natum, denuo adhiberi coepit.

Supplementi vox apud ecclesiasticos scriptores latius patet atque apud optimos. Multo saepius tamen ecclesiastici vocem adhibent angustiore significatione atque ethnici. Nota est illa regula: vox latius patet, si ex interiore societate in illam, quae latissime pateat, at contra angustius valet, si ex infinita in interiorem transit (Teeuwen, p. 29. sq.). Secundum hanc regulam ex omnium communi in Christianam sermonem translatae voces angustiorem notionem habiturae sunt. Plurimae hic disserendarum vocum ex omnium communi sermone sumptae sunt et re vera angustius valent atque apud bonos scriptores, velut gratia, quae vox ecclesiastica significatione e Deo modo quod in hominem pervenit beneficium significat. Praedicatio apud ethnicos scriptores est omnino actus praedicandi, apud ecclesiasticos

quidem illa vox usurpatur cum de Evangelii modo enuntiatione dicitur.

Si tamen sermonis Christiani vox ex alio quodam singulari sermone sumpta est, maxima ex parte neque latius patet neque angustius valet, sed significationem solam immutat. Illa enim voce ex omnium communi in quoddam singulare sermonis genus transferenda in conspectum venit cogitatio minor, quae iam angustius valet, ab ecclesiasticis quidem in Christianam tantummodo mutata est. Posterioris temporis iurisconsulti ordinationis vocem usurpabant cum de creando rei publicae ordinandae agebatur, apud ecclesiasticos quidem ordinatio similiter est promotio ad munus, sed iam in ecclesia Christi.

Sunt praeterea in apostolorum epistolis adhibitae voces, velut affectio, confusio, infans, infantia, supplementum, quae eandem, significationem habeant, qua usi sunt etiam ethnici scriptores, tamen non optimi, praesertim qui inter bonam aetatem et ecclesiasticorum tempus vixerunt. Plurima ex illis substantivis apud optimos scriptores illa significatione, in qua nata sunt, leguntur, apud posterioris quidem temporis scriptores translate adhibentur. At contra supplementum apud optimos scriptores usurpatur, cum speciatim de re militari agitur, posterioris vero temporis et ethnici et ecclesiastici scriptores illud vocabulum propria vi adhibent.

Adoptio, - onis.

Ephes. 1. 5. Qui praedestinavit nos adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Gal. 4. 5. ut adoptionem filiorum reciperemus. Rom. 8. 15. sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Ibid. 8. 23. adoptionem filiorum Dei expectantes.

Adoptionis vox legitur inde a Cicerone. Apud scriptores ecclesiasticos tamen et in Litteris Sacris adoptio dicitur de spirituali fidelium regeneratione per baptismum, quo in filios Dei adoptamur. Ecclesiastica significatione vocem adhibent multi scriptores Christiani, ut Tertullianus, Irenaeus, Augustinus, Alcimius Avitus et alii. Alc. Avit. epist. 30. p. 61. 29. Qui si ante Mariam non fuisset, hunc similem ceteris adoptio fecerat dei filium, non natura.

Aedificatio, - onis.

2. Cor. 13. 10. secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem. 2. ibid. 12. 19.

Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem charissimi propter aedificationem vestram. 1. ibid. 14. 12. ad aedificationem Ecclesiae quaerite, ut abundetis. 1. ibid. 14. 5. ut Ecclesia aedificationem accipiat. Adde 1. ibid. 14. 26, 1. ibid. 14. 3. Ephes. 4. 12., Rom. 14. 9., Ephes. 2. 20. et alibi.

Illa vox a scriptoribus Latinis, etiam optimis, saepe usurpata est, significat autem actionem aedificandi. Apud scriptores ecclesiasticos tamen illa adhibita est significatione translata. In Novo Testamento ex imagine illa, qua ecclesia tamquam templum figuratur a Christo fundatum sive unum corpus, cuius caput est Christus, intelligendae sunt locutiones „aliquid ad aedificationem ecclesiae facere, loqui". Qua significatione illa vox in Itala, Vulgata et apud scriptores ecclesiasticos frequenter usurpata est. Hieron. vir. ill. 6. unam ad aedificationem ecclesiae pertinentem epistolam. Eadem vi vox legitur etiam apud Paulinum Nolanum, Fulgentium Ruspensem, Leonem Magnum, Avellium. In Novo Testamento et inde saepissime apud ecclesiasticos aedificandi vox usurpatur, cum dicitur de aedificatione spirituali, i. e. de fidei, virtutis, pietatis factis dictisve excitatione. Illa significatione vocabulum legitur in illo Vulg. Rom. 14. 9. et quae aedificationis sunt, in invicem custodiamus, et aliis Vulgutae locis. Praeterea eadem significatione vocabulum legitur etiam apud Tertullianum, Augustinum, Avellium, Hieronymum, Cassianum, Leonem Magnum et alios. In Novo Testamento etiam figuratur ecclesia, id quid fidelium universitas, tamquam templum a Christo fundatum, quod apostoli eorumque discipuli aedificent atque amplificent. Huc spectat a nobis ille laudatus locus Eph. 2. 20. Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis aedificatio constructa, et alii ut 1. Cor. 3. 9. dei agricultura et dei aedificatio estis.

Goelzer in suo libro „De S. Hieronymi Latinitate" in p. 235. dicit Georgem in suo indice verborum oblitum esse notare illam huius vocis significationem, qua apud scriptores ecclesiasticos adhibetur. In Totius Latinitatis Lexico tamen iam ante Goelzerium illa vocis vis notata est. Thesaurus Linguae Latinae autem occasionem non omisit, ut illam a Goelzerio refertam vim notaret. Aedificatio apud ecclesiasticos scriptores, ut Goelzer docet, est id quod Francogallice édification dicitur.

Affectio, -onis.

Rom. 1. 31. Insipientes, incompositos, sine affectione absque foedere, sine misericordia. 2. Tim. 3. 3. Sine affectione, sine pace. Philipp. 2. 20. qui sincera affectione pro vobis solicitus sit.

Affectio est vocabulum a Cicerone fictum et adamatum. Apud Ciceronem illa vox habet animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutationis vim. Commutatio enim est cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas et alia, quae genere in eodem reperiuntur (Cic. 1. Invent. 23.). Apud posterioris temporis scriptores affectio est amor, benevolentia. Ea vi vox legitur inde a primo saeculo post Christum natum usque ad sexti exitum (cf. Plinium Maiorem, Quint., Tac., Gell., Apul., Min. Fel., Tert., Arnob., Symm., Augustin., Ennod., Cassiod., iurisconsultos).

Captio, -onis.

Rom., 11. 9. Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis. 2. Petr. 2. 12. Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, et in perniciem.

Captionis vox apud scriptores ecclesiasticos saepe aliam habet vim atque apud Ciceronem (Caesar illam vocem non adhibet). Apud Ciceronem captionis vox adhibetur, cum dicitur de capiendo per dolum, et maxime quidem per verba. Captio igitur fraus est. Ecclesiastica autem significatione captio usurpatur, cum de capiendo corpore agitur (captivitas hominum, venatus ferarum, piscatio; hinc tropologice de fraudibus diaboli, haereticorum). Praeter Litteras Sacras ecclesiastica significatione vocem adhibet Ambrosius, Hieronymus, Orosius, Cassiodorus et alii.

Civitas, -atis.

Hebr. 12. 22. Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis. Ibid. 13. 14. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

Apud multos posterioris temporis scriptores civitas est id quid urbs, oppidum, arx[1]), qua significatione illa vox etiam in Itala adhibita est, in Vulgata tamen illis locis urbis vox posi-

---

1) Löfstedt. Peregrinatio Aeth., p. 174.; Diez, Rom. W. p. 83.

ta est[2]). Nomnulli autem scriptores ecclesiastici civitatis vocabulum etiam tropologice usurpant, cum de caelesti Ierusalem dicunt. Praeter supra laudatos Vulgatae locos illa significatione vox legitur etiam apud Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, Orosium, Cassiodorum et alios.

Communicatio, - onis.

1. Cor. 10. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? 2. Cor. 8. 4. obsecrantes nos gratiam et communicationem ministerii, quod fit in sanctos. Adde 2. ibid. 13. 13, Philem. 6.

Communicationis vox exstat etiam apud bonos scriptores, propria tamen significatione. Apud scriptores ecclesiasticos communicatio saepe refertur ad participationem, quam quis communem habet cum aliis eiusdem societatis, sive fidei, sive rerum sacrarum. Ecclesiastica significatione vocem adhibuit Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Cassiodorus et alli.

Confusio, - onis.

Philipp. 3. 19. Quorum finis interitus: quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum. 1. Petr. 4. 4. admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriae confusionem. Hebr. 12. 2. confusione contempta.

Apud Ciceronem confusio est commixtio aut perturbatio. In Itala vero, Vulgata et apud scriptores Christianos confusio est ignominia, pudor, saepe etiam pudoris affectio. Illa significatione vox legitur apud Tertullianum, Hieronymum, Hilarium, Salvianum, Rufinum, Cassianum, Augustinum, Orosium et multos alios scriptores.

Parum mihi videtur interesse inter significationem ecclesiasticam, atque illam, qua voce usi sunt posterioris temporis ethnici scriptores, velut Velleius, Petronius, Tacitus, Sulpicius Severus. Apud illos scriptores confusionis vox translate sumitur, cum de perturbatione animi agitur.

Continentia, - ae.

Gal. 5. 23. Fructus autem spiritus est... fides, modestia, continentia, castitas.

Vox legitur inde a Terentio; magno in usu fuit apud Ciceronem, etiam Caesar illa est usus, Christianis tamen continentiae

---

2) Thesaurus L. L. v. III. p. 1232 - 33.

vox adamata est. Apud Caesarem et Ciceronem continentia est abstinentia, modestia, temperantia, apud ecclesiasticos autem scriptores illud vocabulum ponitur pro castitate, pudicitia. Ecclesiastica significatione vox in usu fuit inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum. Illam adhibet Cyprianus, Salvianus, Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus.

D e b i t o r, - o r i s.

Rom. 8. 12. Ergo fratres debitores sumus non carni. Ibid. 1. 14. Graecis, ac Barbaris, sapientibus, et insipientibus debitor sum. Gal. 5. 3. quoniam debitor est universae legis faciendae.

Debitor proprie est qui debet. Apud scriptores ecclesiasticos vero illa vox adhibetur sensu morali de eo, qui aliquid alicui praestare tenetur vi legis divinae. Illa vox ex iurisconsultorum sermone sumpta esse videtur, Caesar et Cicero autem in suas litteras receperunt.

D e t r a c t i o, - o n i s.

2. Cor. 12. 20. ne forte... dissensiones, detractiones, susurrationes... sint inter vos.

Detractio proprie est actus detrahendi, ablatio. Illa significatione vox exstat etiam apud Ciceronem. In Vulgata tamen et apud ecclesiasticos scriptores detractio ponitur pro obtrectatione. Illa vox ecclesiastica significatione legitur usque ad sexti saeculi exitum (cf. Sulpicium Severum, Prosperum, Hieronymum, Cassiodorum).

D i s p e n s a t i o, - o n i s.

Ephes. 3. 9. Et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo. Ibid. 3. 2. Si tamen audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis. 1. Cor. 9. 17. dispensatio mihi credita est.

Dispensatio proprie est actus dispensandi, administratio. Apud scriptores ecclesiasticos dispensatio adhibetur translate et refertur ad oeconomiam quandam divinam in humano genere redimendo. Ecclesiastica significatione vox legitur usque ad septimum saeculum (cf. Rufinum, Augustinum, Gregorium Magnum).

F i g u r a, - a e.

Hebr. 1. 3. Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius. 1. Cor. 10. 6. Haec autem in figura facta sunt nostri.

Apud ecclesiasticos figura est i. q. exemplum, typus, allegoria. Legitur in Itala et apud multos scriptores ecclesiasticos usque ad sexti saeculi exitum. Illa ecclesiastica significatione voce usus est Tertullianus, Hieronymus, Macrobius, Augustinus, Alcimius Avitus, Gregorius Magnus et multi alii.

G e n s, - t i s.

Rom. 1. 5. Per quem accepimus gratiam et Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomina eius. 1. Cor. 1. 23. Nos autem praedicamus Christum crucifixum: Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. 1. ibid. 5. 1. Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes. 1. ibid. 10. 20. Sed, quae immolant Gentes, daemoniis immolant, et non Deo.

Apud scriptores ecclesiasticos vox usurpatur plurali numero passim pro ethnicis, gentilibus, h. e. iis, qui extra Christianam religionem sunt. Ecclesiastica significatione illud vocabulum magno in usu fuit inde ab Itala usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, Gregorium Magnum).

G r a t i a , - a e.

Rom. 1. 5. Per quem accepimus gratiam, et Apostolatum. 1. Col. 1. 3. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro. 1. Petr. 4. 10. Unusquisque, sicut accepit gratiam. Adde 2. Tim. 1. 2. et alibi.

Gratiae vox apud scriptores ecclesiasticos varie adhibetur, atque iisdem fere significationibus, quibus apud ethnicos scriptores. Gratia ecclesiastica significatione saepissime est omne quod ex Deo pervenit in hominem beneficium, imprimis vero illud Dei beneficium, quod sanctum acceptumque Deo hominem reddit. Vox legitur apud scriptores ecclesiasticos passim inde ab Itala usque ad septimum saeculum (cf. Minucium Felicem, Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, Alcimium Avitum, Gregorium Turonensem).

In novicias linguas illa vox etiam ecclesiastica significatione transiit. Gratia illa ecclesiastica enim Francogallice grâce, Italice grazia dicitur.

H u m i l i t a s, - a t i s.

Col. 2. 23. Quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione et humilitate. Petr. 5. 5. Omnes autem invicem

humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Apud scriptores ecclesiasticos humilitas est virtus animi, quae superbiae vitio opponitur. Ecclesiastici scriptores vocem usurpaverunt quarto, quinto, etiam sexto saeculo. Illud vocabulum legitur apud Lactantium, Sulpicium Severum, Alcimium Avitum et alios. Alc. Avit. epist. 28. p. 59. 4. Quare non fiat in sacerdotio nostro erectus, qui amore humilitatis a suo voluit esse deciduus?

I n f a n s, - t i s.

1. Joann. 2. 14. Scribo vobis infantes, quoniam cognovistis patrem. Scribo vobis iuvenes, quoniam fortes estis.

Infans proprie est non fans, sive qui fari nescit vel nequit. Infans est etiam qui nondum fari coepit. Hic laudato tamen loco infans est id quid nondum iuvenis, puer. Etiam apud nonnullos alios posterioris temporis scriptores infans est id quid puer, adiectivorum autem more adhibitum infans est puerilis, ut apud Lucilium: id. XV. 7. ut pueri infantes credunt. Quod apud Horatium in 2. sat. 3. 247. „puerilia" dicuntur, apud Porphyrium haec omnia infantes faciunt. Pro puero adhibita infantis vox legitur etiam apud Hieronymum, Cassiodorum. Hier. qu. Hebr. Col. 336. nec miremur barbaram linguam habere proprietates suas cum hodieque Romae omnes filii vocentur infantes. Nunc Francogallice l'enfant puer dicitur.

I n f a n t i a, - a e.

2. Tim. 3. 15. Et quia ab infantia sacras literas nosti.

Infantia proprie est impotentia loquendi. Illa significatione, in qua natum est vocabulum, legitur etiam apud Ciceronem. Infantia est etiam aetas hominis, qua nondum fari coepit, vel, si loquitur, non rationabiliter tamen et congruenter. Posteriore significatione vox legitur apud Plinium Maiorem, Columellam, Quintilianum, Tacitum, Suetonium, Florum, Macrobium, apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Christianis.

I n f l a t i o, - o n i s.

2. Cor. 12. 20. ne forte... susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos.

Inflatio proprie est dilatatio. Speciatim apud medicos inflatio est tumor, praesertim in corpore, ex morbo. Eadem significatione, qua medici usurpabant, usus est illa voce etiam Cicero:

id. 1. divin. 30. Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus. Apud scriptores ecclesiasticos inflatio est tumor, superbia, elatio. Ecclesiastica significatione vox legitur apud Cyprianum, Hieronymum, Ennodium.

I u s t i t i a, - a e.

Rom. 3. 22. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, et super omnes. Id. 10. 3. Ignorantes enim iustitiam Dei. Id. 10. 4. Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti, et alibi frequenter.

Iustitia apud scriptores ecclesiasticos est gratia quaedam divina, iustum faciens. Tertullianus iustitiae vocem etiam pro aequilibrio usurpat.

O b s e q u i u m, - i i.

2. Cor. 10. 5. in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Philipp. 2. 17. Sed et immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestrae. Ibid. 2. 30. ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium. Rom. 9. 4. Qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum... et legislatio, et obsequium, et promissa. Ibid. 12. 1. rationabile obsequium vestrum (h. e. sacrificium spiritale).

Apud Ciceronem obsequium dicitur officium, quo quis id sequitur et facit, quod alteri placiturum novit. Apud Apuleium et scriptores ecclesiasticos obsequium usurpatur, cum de cultu deorum aut Dei dicitur. Apud ecclesiasticos illa vox adhibetur etiam pro sacrificio. Huc spectare videntur etiam illa a nobis laudata Rom. 9. 4. et ibid. 12. 1.

P r a e d i c a t i o, - o n i s.

1. Cor. 15. 14. Si autem Christus non resurrexit, inanis est et praedicatio nostra, inanis est et fides vestra. 1. ibid. 2. 4. Et sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis. Tit. 1. 3. Et manifestavit autem temporibus suis verbum suum in praedicatione, quae credita mihi est secundum praeceptum Salvatoris nostri Dei.

Praedicatio est actus praedicandi et palam faciendi, celebratio, commemoratio. Vox non vulgaris videtur, quia adhibet Cicero, etiam in orationibus. Apud scriptores ecclesiasticos tamen praedicatio est enuntiatio Evangelii vel doctrinae sacrae. Praeter Vulgatam hac significatione vox legitur etiam apud Ambrosium, Hieronymum, Alcimium Avitum, Isidorum. Alc. Avit.

epist. 10. p. 44. 19. Praedicationibus duriores animos edomatis.

Eiusdem stirpis atque eadem significatione nonnullae voces e sermone communi etiam in linguam Francogallicam transierunt: illud ecclesiasticum praedicare enim Francogallice prêcher, praedicator prêtre dicitur.

Praevaricatio, -onis.

Rom. 2. 23. per praevaricationem legis Deum inhonorans. 1. Tim. 2. 14. mulier autem seducta in praevaricatione fuit. Hebr. 2. 2. et omnis praevaricatio, et inoboedientia accepit iustam mercedis retributionem. Adde ibid. 9. 15., Rom. 7. 15., ibid. 5. 14.

Vox legitur apud Ciceronem, etiam in orationibus. Scriptores ecclesiastici tamen illam alia significatione usurpaverunt. Apud scriptores ecclesiasticos praevaricatio non est actus praevaricandi, sed violatio, delictum. Apud ecclesiasticos igitur illius vocis vis est significantior atque apud bonos scriptores. Praeter Vulgatam legitur etiam apud Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Sulpicium Severum.

Praevaricator, -oris.

Gal. 2. 18. Si enim quae destruxi, iterum haec aedifico: praevaricatorem me constituo. Rom. 2. 27. praevaricator legis est. Ibid. 2. 25. Si autem praevaricator legis sis.

Praevaricatoris vox usurpata est etiam ab optimis scriptoribus. Praevaricator apud Ciceronem est qui praevaricatur, sive praetergreditur. Accipitur pro eo, qui ab officii sui praescripto deflectit atque aberrat. Speciatim etiam usurpatur pro accusatore, qui a reo pecunia corruptus est. Apud scriptores ecclesiasticos illius vocis vis significantior est. Apud illos enim praevaricator est transgressor, delinquens. Legitur apud Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Hilarium, Hieronymum, Augustinum.

Purgatio, -onis.

Hebr. 1. 3. purgationem peccatorem faciens sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. 2. Petr. 1. 9. oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

Apud scriptores ecclesiasticos purgatio est expiatio a peccatis, remissio peccatorum. Huc spectant etiam laudati Vulgatae loci. Apud ecclesiasticos purgatio dicitur etiam de purificatione legali, imprimis puerperae, quae apud Hebraios immunda habebatur et ex legibus Mosaicis purganda erat solemni sacrificio: Vulg. Luc. 2. 22. Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi...

Vocabulum in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos usque ad septimum saeculum; illa enim etiam Venantius Fortunatus est usus.

Reconciliatio, - onis.

Rom. 5. 11. sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Ibid. 11. 15. Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi. 2. Cor. 5. 18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis.

Scriptores ecclesiastici hanc vocem adhibent, cum de restaurata concordia inter Creatorem et creaturam per Christi redemptionem agitur. Reconciliatio est etiam absolutio ab excommunicatione, ut apud Alcimium Avitum: id. epist. 17 p. 49. 16. Utrisque... votum excommunicationis indicite, donec a consortio criminali publica poenitentiae profesione desciscant. Et tunc miserentibus vobis ad timoris ex correctione exemplum gratiam reconciliationis accipiant.

Redemptio, - onis.

Rom. 8. 23. et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Ibid. 3. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu. 1. Cor. 1. 30. qui (Christus) factus est nobis... et sanctificatio, et redemptio. Hebr. 9. 12. introivit (Christus) semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.

Redemptio apud scriptores ecclesiasticos dicitur liberatio generis humani a peccato originis et a captivitate daemonis pretio sanguinis Christi. Hieronym. ep. 66. 8. sub fin. Christus redemptio, idem redemptor ac pretium. Vocabulo usus est etiam Tertullianus, Irenaeus, Alcimius Avitus et alii scriptores ecclesiastici. Alc. Avit. epist. 30. p. 60. 18. Sed nescio in quem affectum redemptio nostra surrexit, si non creaturae suae pretium Deus extitit.

Remissio, - onis.

Rom. 3. 25. propter remissionem praecedentium peccatorum.

Remissionis vox usurpatur a scriptoribus ecclesiasticis speciatim, cum de remissione peccatorum agitur. Cicero illo vocabulo saepe est usus, alia significatione tamen atque apud ecclesiasticos. Apud Ciceronem exstat etiam remissio poenae: id. 4. Cat. 6. in finem: multo magis est verendum, ne remissione poenae crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis

nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamini. Tamen remissio poenae apud Ciceronem est tantum diminutio, non condonatio vel actus admodum ignoscendi, apud scriptores ecclesiasticos quidem remissio est actus ignoscendi.

Apud ecclesiasticos scriptores remissionis vox legitur inde a Tertulliano usque ad sextum saeculum (cf. Ambrosium, Hieronymum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. c. Arr. XXX p. 14. 16. si... peccat spiritus humanus, spiritus sanctus peccare in eo dicendus est: vel certe spiritui sancto remissionem dari poscimus.

R e n o v a t i o, - o n i s.

Tit. 3. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis spiritus sancti.

Renovatio proprie est actus renovandi. Apud scriptores ecclesiasticos tamen illa vox usurpatur translate, significatione spiritali. Renovatio enim apud illos est id quid regeneratio in Christo.

R e p r o m i s s i o, - o n i s.

Rom. 4. 20. In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia. 1. Joann. 2. 25. Et haec est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam aeternam. Hebr. 6. 15. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Etiam ibid. 11. 9., ibid. 11. 13.

Apud scriptores ecclesiasticos repromissio dicitur de quacumque promissione: item res ipsa promissa. Speciatim vero promissio est illa gratuita sponte a Deo facta de redimendo genere humano, quae post et eventu impleta est et multi illam adepti iam sunt (cf. Tertullianum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. 20. hom. p. 133. 31. tum priscus Israelita terram repromissionis expeteret. Id. ep. 7. p. 36. 23. fecit transitum ad repromissionem divinam.

S a c r a m e n t u m, - i.

Eph. 1. 9. Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae. Ibid. 3. 3. Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum. Ibid. 3. 9. quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo. Adde ibid. 5. 32., Col. 1. 27.

Sacramentum in Litteris Sacris et apud scriptores ecclesiasticos est mysterium, res sacra et arcana, etiam signum sensibile rei sacrae latentis, ut in illo Ephes. 5. 32. Sacramentum hoc magnum est, ubi de matrimonio agitur.

Significatione ecclesiastica illa vox legitur inde a Cypriano et Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum (cf. Arnobium, Lactantium, Hieronymum, Cassiodorum et alios).

S c r i p t u r a, - a e.

2. Tim. 3. 16. Omnis scriptura divinitus inspirata. 2. Petr. 1. 20. intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. 2. ibid. 3. 16. depravant sicut et caeteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. 1. Cor. 15. 3. quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas. Rom. 4. 3. Quid enim dicit Scriptura?

Scriptura, ut etiam Georges in suo libro de elocutione Vellei Paterculi (p. 14.) docet, apud optimos scriptores aut actum scribendi significat, i. e. scriptionem, aut modum vel genus scribendi. Christiani quidem scriptores, velut Tertullianus, Hieronymus, Lactantius, Augustinus et alii Scripturam et Scripturas absolute vocant Litteras Divinas, τὰ ἱερὰ Βιβλία.

S e d u c t i o, - o n i s.

2. Thessal. 2. 10. Et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt.

Apud optimos scriptores seductio est seorsum ductio. Apud ecclesiasticos vero seductionis vox adhibetur cum agitur de iis, qui aliquem in errorem vel peccatum inducunt (cf. Tertullianum).

S o l i c i t u d o, - i n i s.

Col. 2. 1. Volo enim vos scire, qualem solicitudinem habeam pro vobis. 1. Thessal. 2. 2. loqui ad vos Evangelium Dei in multa solicitudine. 2. Cor. 7. 11. quantam in vobis operatur solicitudinem.

Apud Ciceronem solicitudo est angor animi, negotium, molestia. Apud scriptores ecclesiasticos autem solicitudo est simpliciter diligentia, cura sine anxietate (cf. Cyprianum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. carm. 6. 463. Quamvis festinent, oleum tamen addere sumptis sollicitudo fuit vasis.

S u b i e c t i o, - o n i s.

1. Tim. 2. 11. Mulier in silentio discat, cum omni subiectione.

Apud ecclesiasticorum aetatis scriptores subiectio est servitus, demissio animi et voluntaria oboedientia, apud Ciceronem

quidem subiectio dicitur actus subiciendi et supponendi. Subiectionis vox ecclesiastica significatione legitur inde a Cypriano, usurpat illam etiam Prudentius, Jordanes.

S u p p l e m e n t u m, - i.

2. Cor. 8. 14. Vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum.

Supplementi vox legitur apud Caesarem (nonnullis locis), Ciceronem (epist.). Apud optimos tamen scriptores illa vox adhibita est tantummodo speciatim, cum de re militari agitur. Supplementum enim dicitur certus militum numerus, qui in locum eorum, qui desunt, sufficiuntur ad iustum militum corpus, puta legionem, implendum. Caes. 7. Bell. Gall. 7. 5. Partem copiarum ex provincia supplementumque, quod ex Italia adduxerat, in Helvios... convenire iubet. Cic. ep. ad Fam. 3. 3. ut in Italia supplementum meis et Bibuli legionibus scriberetur. Propria tamen significatione apud optimos scriptores haec vox non legitur.

Propria autem significatione supplementum est id quod adicitur supplendae rei. Illa significatione vocabulum legitur apud iurisconsultos et posterioris temporis scriptores inde a Velleio (cf. Columellam, Suetonium, Apuleium, Boethium).

T a b e r n a c u l u m, - i.

2. Petr. 1. 14. Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei. 2. ibid. 1. 13. quamdiu sum in hoc tabernaculo. 2. Cor. 5. 4. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo.

Tabernaculi vox apud scriptores ecclesiasticos varie adhibetur, tum propria significatione, ut apud optimos scriptores, tum etiam translata. Hic laudatis Vulgatae locis tabernaculum a similitudine corpus humanum dicitur.

T e s t a m e n t u m, - i.

Hebr. 9. 15. Et ideo novi testamenti mediator est. Ibid. quae erant sub priori testamento. Ibid. 8. 8. testamentum novum. 2. Cor. 3. 14. in lectione veteris testamenti.

Testamentum proprie est declaratio ultimae nostrae voluntatis. Illa significatione vox non est vulgaris. Apud ecclesiasticos tamen adhibetur Testamentum Vetus et Novum, id est duae maximae partes, in quas dividuntur Litterae Sacrae. Ecclesiastica significatione vox legitur apud Tertullianum, Hieronymum.

T r a n s g r e s s i o, - o n i s.

Gal. 3. 19. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semel.

Transgressio proprie est transitio, transitus. Apud scriptores ecclesiasticos tamen inde a Tertulliano transgressio est progressio, quo non oportet. Legitur etiam apud Hieronymum, Augustinum.

d) De substantivis Graecis et hybridis.

De substantivis Graecis plura iam in praefatione dixi. In apostolorum epistolis adhibitae Graecae voces magna ex parte in litteras Latinas receptae sunt non ante ecclesiasticorum tempus. Tantummodo substantivis agon, colaphus, ecclesia, parabola, petra, stigma, thronus, zelus, Latina civitas iam ante ecclesiasticorum tempus donata est.

Praeputium est vocabulum hybridum, formatum e praepositione prae et Graeco vocabulo πόσθιον.

A b y s s u s, - i.

Rom. 10. 7. Aut quis descendet in abyssum?

Illa Graeca vox in litteris Latinis ante Christianos scriptores non legitur. Illo vocabulo usi sunt ecclesiastici scripotres inde a Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum (cf. Ambrosium, Hilarium, Cassianum, Alcimium Avitum, Cassiodorum, Gregorium Turonensem et alios).

Abyssus nunc Italice abisso, lingua Provinciali abis dicitur.

A g o n, - o n i s.

1. Cor. 25. Omnis autem, qui in agone contendit. 2. Tim. 2. 5. Nam et qui certat in agone, non coronatur.

Agonis vox inde a secundo post Christum natum saeculo (Plin.) in litteras Latinas recepta et a scriptoribus Christianis frequentata est. Illa in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos usque ad septimum saeculum. Legitur apud Cyprianum, Tertullianum, Hieronymum, Leonem Magnunm, Gregorium Turonensem. Vox exstat etiam apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis (Cod. Theod.. Corp. XII, 410, Corp. VI. 33. 992).

A n a t h e m a, - a t i s.

1. Cor. 12. 3. nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Gal. 1. 8. sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vo-

bis... anathema sit. Rom. 9. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.

Illa Graeca vox legitur inde ab Itala apud scriptores ecclesiasticos tertii, quarti et quinti saeculi. Voce usus est Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Orosius et alii. Vocabulum exstat etiam in Inscriptionibus Latinis.

A n g e l u s, - i.

Gal. 3. 19. (lex) ordinata per angelos in manu mediatoris.

Angelus est Graeca vox ἄγγελος. Legitur inde a tertio usque ad septimum saeculum. Vocem usurpat Ps. Apuleius, Tertullianus, Ambrosius, Silvia, Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Plinius Valerianus.

Illa vox etiam in novicias linguas e lingua Latina ortas transiit. Angelus enim Italice angelo, Hispanice angel, Francogallice ange dicitur.

A p o s t o l a t u s, - u s.

Rom. 1. 5. Per quem accepimus gratiam et Apostolatum. 1. Cor. 9. 2. nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino. 2. ibid. 12. 12. Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos. Gal. 2. 8. et alibi.

Apostolatus Graece ἀποστολή dicitur. Vox legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum. Illa usus est Ambrosius, Augustinus, Sidonius, Alcimius Avitus, Ennodius et alii.

A p o s t o l u s, - i.

2. Cor. 11. 13. transfigurantes se in Apostolos Christi. Hebr. 3. 1. considerate Apostolum, et pontificem confessionis nostrae Iesum. 1. Cor. 15. 9. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. Etiam Philipp. 2. 25. et alibi.

Vox legitur praecipue apud scriptores ecclesiasticos et iurisconsultos inde a tertio saeculo. Illam adhibet Tertullianus, Avellius, Augustinus, Hieronymus, Cod. Theodosianus, Alcimius Avitus, Ennodius et alii.

Illud vocabulum etiam in novicias linguas e lingua Latina ortas transiit. Apostolus enim Italice apostolo, Francogallice apôtre, Hispanice apóstol dicitur.

B a p t i s m a, - a t i s.

Ephes. 4. 5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Rom. 6. 4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mor-

tem. Coloss. 2. 12. Consepulti ei in baptismo. 1. Petr. 3. 21. Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma.

Baptisma, - atis (βάπτισμα), vel baptismus, - i (βαπτισμός) est Graeca vox, quae legitur inde ab Itala apud scriptores ecclesiasticos usque ad sexti saeculi exitum. Illa usus est Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Alcimius Avitus, Gregorius Turonensis, Gregorius Magnus et multi alii scriptores ecclesiastici, etiam iurisconsulti.

Illud vocabulum etiam in novicias linguas transiit. Baptisma lingua Francogalliae veteriore baptesme, nunc Francogallice baptême dicitur.

B l a s p h e m i a, - a e.

Ephes. 4. 31. Omnis amaritudo et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia, tollantur a vobis. Coloss. 3. 8. Nunc autem deponite... malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Iud. 9. non est ausus iudicium inferre blasphemiae.

Vocabulum legitur inde ab Itala passim apud scriptores ecclesiasticos usque ad sexti saeculi exitum. Illo usus est Tertullianus, Novatianus, Hilarius, Hieronymus, Alcimius Avitus, Gregorius Turonensis et multi alii.

Blasphemia lingua Francogalliae veteriore blastenge, nunc autem Francogallice blasphème, Italice bestemmia dicitur.

B r a v i u m, - i i.

1. Cor. 9. 24. omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Philipp. 3. 14. Ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei.

Vox Christianis adamata, apud scriptores ethnicos non legitur nisi apud Capitolinum in Vero et in Scholiis Horatianis. Legitur inde ab Itala apud Tertullianum, Hieronymum, Ambrosium, Prudentium, Priscilianum, Cassianum, Eucherium et alios. Exstat etiam in Inscriptionibus Christianis Hispaniae.

C h a r i s m a, - a t i s.

1. Cor. 12. 30. Aemulamini autem charismata meliora.

Vox in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala usque ad septimum saeculum. Voce usus est Tertullianus, Hieronymus, Fulgentius Ruspensis, Venantius Fortunatus, Gregorius Magnus et alii. Charismatis vox nonnumquam pro gratia adhibetur: in Itala Cor. 12. 4. divisiones charismatum, in Vulgata autem gratiarum exstat.

C o l a p h u s, - i.

1. Cor. 4. 11. et Colaphis caedimur.

Illa Graeca voce usi sunt scriptores, qui vixerunt aut ante, aut post honum tempus. Quamquam optimi Latini scriptores illa voce omnino non sunt usi, vocabulum tamen legitur iam inde a Plauto, qui quinquies illud adhibet. Bis usus est etiam Terentius. Illam vocem usurpaverunt etiam primi post Christum natum saeculi scriptores: Petronius, Valerius Maximus, Pomponius, Plinius Maior et alii. Ecclesiastici scriptores vocem adhibuerunt usque ad septimum saeculum. Legitur illa apud Tertullianum, Cassianum, Augustinum, Leonem Magnum, Cassiodorum, Gregorium Magnum et multos alios.

Nunc colaphus Italice colpo, Francogallice autem coup dicitur.

D a e m o n i u m, - i i.

1. Cor. 10. 20. Sed, quae immolant Gentes, daemoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum.

Daemonium, Graeca vox, translata in linguam Latinam. Aut boni, aut mali genii vim habet. Ecclesiastici vero scriptores pro malo genio ponunt. Hinc daemonios idolos gentium vocant. Vox legitur apud Tertullianum, Hieronymum. Vocabulum, in nonnullis codicibus etiam Graecis litteris scriptum, exstat etiam apud Ciceronem semel: id. 1. Div. 54. Esse divinum quiddam, quod Daemonion (Socrates) appellat. Cicero tamen illud vocabulum non apporbavit neque in litteras Latinas usu molliens recepit.

D i a c o n u s, - i (etiam diaco, et diacon, - onis).

Philipp. 1. 1. Paulus, et Timotheus... omnibus sanctis... cum episcopis et diaconibus. 1. Tim. 3. 8. Diaconos similiter pudicos.

Diaconus, Graeca vox, in litteris Latinis legitur inde a Cypriano et Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum. Usus est illa Hieronymus, Cassiodorus, Venantius Fortunatus, Isidorus. Exstat etiam in Inscriptionibus Latinis et apud iurisconsultos.

Diaconus Francogallice nunc diacre dicitur, ubi - re ex - ne formatum est[1]).

E c c l e s i a, - a e.

1. Cor. 1. 2. Ecclesiae Dei, quae est Corinthi. 1. ibid. 11. 18. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam. 2. ibid. 8. 1.

---

1) Meyer - L. I., p. 452.

gratiam Dei, quae data est in Ecclesiis. Rom. 16. 1. quae est in ministerio Ecclesiae. Etiam alibi.

Illud Graecum vocabulum in litteris Latinis legitur inde a Plinio Iuniore, apud quem ecclesia est contio legitima civium Graecorum. Christiana significatione vox legitur inde a Tertulliano. Apud scriptores Christianos ecclesia est aut congregatio fidelium, aut locus, quo orandi causa conveniunt. Ecclesiae vox in maximo usu fuit non solum apud scriptores Christianos usque ad septimum saeculum, sed etiam in Inscriptionibus Christianis et apud iurisconsultos. Vox exstat apud Cyprianum, Augustinum, Alcimium Avitum, Cassiodorum et multos alios.

Ecclesia nunc Italice chiesa, Francogallice église, Hispanice iglesia dicitur.

H o l o c a u s t o m a, - a t i s.

Hebr. 10. 6. Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Ibid. 10. 8. hostias, et oblationes, et holocaustomata pro peccato noluisti.

Holocaustoma, - atis aut holocaustum, - i est Graeca vox, quae legitur apud nonnullos scriptores ecclesiasticos et in Litteris Sacris. Illam vocem adhibet Tertullianus, Prudentius, Hieronymus.

H y p o c r i s i s, - i s, et, Graeca positione, - iseos.

1. Tim. 4. 2. In hyprocisi loquentium mendacium et cauteriatam habentium suam civitatem.

Illa Graeca voce usi sunt nonnulli posterioris temporis ethnici et ecclesiastici scriptores. Hypocrisis apud scriptores ethnicos est simulatio, speciatim apud rhetores est figura sententiarum, quae Latine pronuntiatio dicitur, apud ecclesiasticos vero hypocrisis est simulatio virtutis ac pietatis. Vocabulum in litteris Latinis rarum. Exstat apud Donatum, Ps. Asconium et ecclesiasticos: Irenaeum, Hieronymum, Petrum Chrysologum.

I d o l i u m, - i i (et idoleum).

1. Cor. 8. 10. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem.

Illa Graeca vox legitur apud scriptores ecclesiasticos, velut apud Tertullianum, Hieronymum, Prudentium, Sulpicium Severum. Vocabulum formatum a Graeca voce εἰδωλεῖον.

I d o l o l a t r a et, Graeca positione, idololatres, - ae.

1. Cor. 10. 7. Neque idololatrae efficiamini.

Illam vocem usurpaverunt scriptores ecclesiastici: Tertullianus, Hieronymus, Salvianus. Hier. ep. 21, 13. Sicut multos idololatras videmus panis miseria et egestate confectos.

I d o l o t h y t u m, - i.

1. Cor. 8. 7. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant. 1. ibid. 8. 10. nonne conscientia eius, cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta?

Idolothytum proprie est adiectivum Graecum, substantivorum more etiam adhibitum. Illo usi sunt ecclesiastici scriptores: Tertullianus, Hieronymus, Ps. Cyprianus.

M e l o t a, - a e.

Hebr. 11. 37. circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.

Illa vox Graeca legitur apud Latinos scriptores inde a Litteris Sacris usque ad septimum saeculum. Vocabulo est usus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Caelius Aurelianus, Isidorus et alii.

N e o m e n i a, - a e.

Col. 2. 16. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum.

Neomenia est Graeca vox νεομηνία . Legitur apud scriptores ecclesiasticos: Tertullianum, Hieronymum et alios. Neomeniae vocis significationem Hieronymus egregie explicavit: Hier. ep. 106. 86. Neomenia, mensis exordium est, quod nos secundum latinae linguae proprietatem kalendas possumus dicere. Verum, quia apud Hebraios mensis secundum lunae cursum supputatur, et apud Graecos μήνη luna dicitur, Neomenia quasi luna nova appellatur.

P a r a b o l a. - a e.

Hebr. 9. 9. Quae parabola est temporis inflantis. Ibid. 11. 19. unde eum et in parabolam accepit.

Parabola est Graeca vox, quae legitur in litteris Latinis inde a Seneca et Quintiliano. Vocem adhibet etiam Tertullianus, Macrobius Augustinus, Hieronymus. Parabola apud ethnicos scriptores collatio rerum genere dissimilium dicitur, apud ecclesiasticos quidem parabola est narratio rei fictae, sed verisimilis, qua utimur ad exponendam rem veram.

P e r i p s e m a, - a t i s.

1. Cor. 4. 13. Purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.

Illud Graecum vocabulum ante Christianorum aetatem non legitur. In usu fuit apud scriptores ecclesiasticos (cf. Tertullianum).

P e t r a, - a e.

1. Petr. 28. Et lapis offensionis, et petra scandali his, qui offendunt verbo. 1. Cor. 10. 4. bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus.

Petra non est tantum ecclesiasticorum vox. Quamquam optimi Latini scriptores illo vocabulo admodum non sunt usi, in sermone communi tamen magno in usu fuit, nam iam Ennius et Plautus, illi antiquissimi Latini scriptores, ex sermone communi in litteras Latinas transtulerunt; praeterea vocabulum etiam in novicias linguas transiit. Petra nunc Francogallice pierre, Italice pietra, Valachice pietra, Hispanice piedra, Portugallice pedra, lingua Sicula petra dicitur. In litteris Latinis vocabulum exstat etiam apud Petronium, Plinium Maiorem, Senecam philosophum, Gellium et ecclesiasticos usque ad septimum saeculum, illo enim etiam Isidorus est usus.

P r a e p u t i u m, - i i.

Gal. 5. 6. Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium. Ibid. 2. 7. Creditum est mihi Evangelium praeputii. Rom. 2. 25. Circumcisio tua praeputium facta est. Adde etiam 1. Cor. 7. 18., Rom. 4. 12., ibid. 4. 11., 2. 26.

Praeputium propria significatione est pellis glandem colis integens; hanc Hebraei resecabant in circumcisione. Vocabulum in magno usu fuit in Litteris sacris, e quibus etiam scriptores ecclesiastici, velut Prudentius, Victor et alii sumpserunt. Vocabulum legitur tamen iam ante aetatem Christianorum scriptorum. Usus est illo iam Juvenalis, deinde Apuleius. Praeputium Francogallice prépuce, Italice prepuzio dicitur.

P r e s b y t e r, - e r i.

Jac. 5. 111. Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiae.

Vocabulum ante ecclesiasticorum tempus in usu non fuit. Legitur apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum. Vox exstat apud Ammianum, Hieronymum, Prudentium, Maximum Taurinum, Sidonium, Alc. Avitum, Venantium Fortunatum, Isidorum.

Presbyter Italice prete dicitur. E Graeca voce πρεσβύτερος

primum factum est Latine presbyterus, - i, postea factus est nominativus in - ter exiens, ut arbiter, etiam accentum in tertia a fine syllaba accepit. Inde Francogallice prêtre, Italice autem prete factum est.

P r o p h e t i a, - a e.

Rom. 12. 6. Habentes autem donationes secundum gratiam... sive prophetiam secundum rationem fidei. 1. Thess. 5. 20. Prophetias nolite spernere.

Illud Graecum vocabulum legitur in Litteris Sacris et apud scriptores ecclesiasticos (cf. Tertullianum, Hieronymum, Augustinum).

Prophetia nunc Italice profezia, Francogallice prophétie dicitur.

P s e u d o a p o s t o l u s - i (etiam pseudapostolus).

2. Cor. 11. 13. Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli.

Pseudoapostolus est vox Graeca, quae legitur etiam apud Tertullianum, Marium Victorinum et Hilarium.

P s e u d o p r o p h e t a et, Graeca positione, pseudoprophetes, - ae (ψευδοπροφήτης.

1. Joann. 4. 1. quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.

Illud Graecum vocabulum non legitur, nisi apud scriptores ecclesiasticos, praesertim tertii et quarti, etiam quinti saeculi. Voce usus est Tertullianus, Lucifer, Vincentus Lerinensis.

S c a n d a l u m, - i (σκάνδαλον).

1. Joann. 2. 10. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo est. Rom. 14. 13. sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Adde etiam ibid. 9. 33., 1. Cor. 1. 23., Gal. 5. 11.

Illud Graecum vocabulum magno in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano et Cypriano usque ad septimum saeculum (cf. Hieronymum, Prudentium, Sulpicium Severum, Alc. Avitum, Venant. Fortunatum).

S t i g m a - a t i s (etiam stigma, - ae: στίγμα),

Gal. 6. 17. ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.

Illud vocabulum e Graeca lingua sumptum est iam ante Christianorum scriptorum tempus. In litteris Latinis legitur iam inde a Petronio et Seneca philosopho. Petron. sat. 103. sequar

ego frontes notans inscriptione sollerti, ut videamini stigmate esse puniti. Vocabulum in usu fuit etiam apud Quintilianum, Martialem, Eutropium, Vegetium, Vitruvium et alios posterioris temporis scriptores usque ad septimum saeculum. Ven. Fortun. Mart. 2. 332. ego transfixas clavis nisi videro palmas atque beata crucis tum stigmata carne gerentem.

Thronus, - i.

Hebr. 1. 8. Thronus tuus Deus, in saeculum saeculi: virga aequitatis, virga regni tui. Ibid. 4. 16. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae. Col. 1. 16. sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates.

Thronus, aut, Graeca positione, thronos, est Graeca vox, qua significatur sella augusta. Vocem adhibet Plinius, Auctor Pervigilii Veneris, Prudentius et alii.

Zelus, - i et, Graeca positione, zelos, - i, ζῆλος.

Jac. 3. 14. Quod si zelum amarum habetis.

Illud Graecum vocabulum in litteris Latinis inde a Vitruvio legitur: Vitr. 7. praef. 4. tunc item Ptolemaeus, infinito zelo cupiditatisque incitatus studio, non minoribus industriis ad eundem modum contenderat Alexandriae comparare. In maiorem tamen usum venit apud scriptores ecclesiasticos. Voce est usus Cyprianus, Prudentius, Arnobius, Hieronymus, Ausonius, Alcimius Avitus. Alc. Avit. carm. 2. 298. ut talia temptent Adcumulentque suas zelo fervente ruinas.

e) De substantivis Hebraicis.

In apostolorum epistolis adhibita substantiva Hebraica Latinam civitatem inde ab ecclesiasticorum scriptorum tempore acceperunt, praeter substantivum sabbatum, quod iam apud Horatium et Ovidium in usu fuit.

Gehenna, - ae.

Jac. 3. 6. Lingua... inflammat rotam nativitatis nostrae, inflammata a gehenna.

Gehenna est Hebraica vox, quae occurrit tantum in Litteris Sacris et apud scriptores ecclessiasticos, qui plerumque vel imitantur vel variant locos biblicos. Vocabulum in usu fuit inde ab Itala usque ad septimum saeculum (cf. Cyprianum, Hilarium, Augustinum, Ennodium, Gregorium Magnum). Praeterea legitur etiam in Inscriptionibus Christianis.

Gehennae vox etiam in novicias linguas transiit, Italice enim geenna, Francogallice géhenne dicitur.

M a n n a (indeclinabile nomen).

Hebr. 9. 4. in qua urna aurea habens manna.

Illa Hebraica vox legitur apud scriptores Christianos: Tertullianum, Juvencum.

S a b b a t i s m u s, - i.

Hebr. 4. 9. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.

Vox legitur, ut lexica referunt, quarto et quinto saeculo apud Hieronymum, Augustinum. Illud nomen derivatum est ab Hebraica voce sabbàth.

S a b b a t u m, - i.

Col. 2. 16. aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum.

Sabbatum, vox Hebraica sabbàth, i. e. requies, apud scriptores Latinos ante Vulgatam admodum rara. Legitur apud Ovidium, Horatium, Persium et nonnullos alios poetas et scriptores. Apud illos scriptores sabbatum est septimus quisque dies uniuscuiusque hebdomadae apud Hebraeos, quem ethnici Saturni diem nominaverunt.

Apud scriptores ecclesiasticos sabbatum speciatim sumitur pro tota hebdomada: Vulg. Luc. 18. 12. Jeiuno bis in sabbato; h. e. bis singulis hebdomadis. Solebant enim Pharisaei pietatis specie bis in hebdomada ieiunare, die nempe secunda, qua Moyses iterum descendit de monte, et die quinta, qua ad Dei colloquium ascenderat. Ceteri autem dies hebdomadae appellabantur prima, secunda, tertia, quarta, quinta et sexta Sabbati. Ecclesiastici scriptores vocem usurpaverunt inde a Litteris Sacris usque ad sexti saeculi exitum (cf. Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum).

B. DE ADIECTIVIS ET ADVERBIIS.

a) De adiectivis et adverbiis inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis.

1. De adiectivis in - bilis exeuntibus.

Rebling de Romanorum sermone cotidiano disserens in suo opusculo (p. 14.) adiectiva in - bilis exeuntia in sermone cotidiano plurima fuisse refert. Quamquam multa in easdem litteras exeuntia adiectiva tantummodo posterioribus temporibus ficta sunt, tamen iam antiqua comoedia et Varro illis abundat.

Kretschmannii sententia etiam Apuleius similiter cadentium adiectivorum productas et ponderosas plenoque ore profandas formas praecipue dilexit[1]). Apuleius similiter atque scriptores ecclesiastici in litteris ad philosophiam vel theologiam Christianam pertinentibus ad cogitationum difficultatem aequandam ad exemplum populo adamatorum etiam nova illa adiectiva formare cogebatur. Ipse Apuleius illam Kretschmannii sententiam confirmat: Apul. de Plat. 1.200. (1. 9. 200.). Naturasque rerum binas esse et earum alteram esse, quam quidem δοξαστὴν appellat ille et quae videri oculis et adtingi manu possit, alteram, quae veniat in mentem, cogitabilem et intellegibilem; detur enim venia novitati verborum rerum obscuritatibus servienti.

Lingua Latina omnino in - bilis exeuntibus adiectivis abundat. Paucker 1082 similiter cadentia adiectiva refert, quorum tres ex quattuor partibus inde ab Hadriani aetate in conspectum venerunt. E 281 ante ecclesiasticorum tempus adhibito illo adiectivo 81 apud Ciceronem in usu fuit.

Etiam apostolorum epistolae plurimae sunt in usurpatione similiter cadentium adiectivorum, quae inde ab ecclesiasticorum tempore in usum venerunt. Scriptores ecclesiastici illa adiectiva adamabant, praesertim quinti saeculi. Fere omnia in eas-

---

1)H. Kretschmann. De latinitate L. Apulei Madaurensis, p. 57.

dem litteras cadentia adiectiva a verbis derivata sunt, rationabilis tantum a substantivo formatum est. In - bilis exitum habentia adiectiva antiquiore aetate ab exeuntibus in - scere verbis non derivabantur. Praeter in apostolorum epistolis adhibitum adiectivum immarcescibilis, ab immarcesco derivatum, ecclesiasticorum tempore in usu fuit etiam irascibilis, noscibilis apud Tertullianum, incognoscibilis apud Ambrosium, erubescibilis apud Cassiodorum et alia.

In - bilis exeuntia adiectiva maxima e parte passivam significationem habent. Sunt tamen nonnulla, quae, velut incredibilis, lamentabilis, patibilis et alia, et passiva et activa significatione adhibeantur. Incredibilis enim est et ille, qui non credit, et ille, cui non creditur, lamentabilis est et lamentis plenus et lamentatione dignus, patibilis denique et qui pati potest et quem pati possumus.

A c c e n s i b i l i s, - e.

Hebr. 12. 18. No nenim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem.

Adiectivum adeo rarum, ut lexica nisi hunc Vulgatae locum non referant.

A c c e p t a b i l i s, - e.

2. Cor. 6. 2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Tit. 2. 14. et mundaret sibi populum acceptabilem. 1. Petr. 2. 5. spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.

Illud vocabulum in usu non fuit, nisi apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf. Irenaeum, Ambrosium, Cassianum, Augustinum, Gregorium Turonensem).

C o n t e m p t i b i l i s, - e.

2. Cor. 10. 10. praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis.

Illud adiectivum in litteris Latinis in maximo usu fuit inde ab Itala usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, Alcimium Avitum, Cassiodorum, Gregorium Magnum, Isidorum). Isid. orig. 10. 47. Contemptibilis, vel quia contemptui habilis, vel quia contemptus et vilis, id est sine honore.

C o r r u p t i b i l i s, - e.

1. Petr. 1. 23. Renati non ex semine corruptibili, sed incorrup-

tibili. 1. ibid. 1. 18. scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis. 1. Cor. 15. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem.

Illud vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala et Tertulliano usque ad septimum saeculum. Illo est usus Irenaeus, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Maximus Taurinus, Alcimius Avitus, Gregorius Magnus et alii. Alc. Avit. hom. 1. 2. p. 104. 6. ut animal corruptibile, id est agnum, cum veneratione comedant.

D o c i b i l i s, - e.

2. Tim. 2. 24. Servum autem Domini non oportet litigare, sed... esse... docibilem, patientem.

Vocabulum in litteris Latinis legitur inde ab Itala (adde Tertullianum, Ambrosium, Priscianum).

I m m a r c e s c i b i l i s, - e.

1. Petr. 1. 4. In hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem. 1. ibid. 5. 4. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.

Vocabulum legitur in litteris Latinis apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Hieronymum, Paulinum Nolanum).

I n a c c e s s i b i l i s, - e.

1. Tim. 6. 16. Qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem.

Vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticorum temporis: Tertullianum, Novatianum, Ambrosium, Hieronymum, Rufinum, Jordanem.

I n c e s s a b i l i s, - e.

2. Petr. 2. 14. Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti.

Incessabilis est ecclesiasticorum temporis vox. Usus est illa Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Caelius Aurelianus, Orosius, Alcimius Avitus. Alc. Avit. epist. 53. (47.). p. 81. 30. Dum incessabilis de amicorum fide ac salute mihi cura est.

I n c o n f u s i b i l i s, - e.

2. Tim. 2. 15. Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.

Illa vox legitur etiam apud Hieronymum, Fulgentium.

Incorruptibilis, - e.

1. Petr. 1. 4. In hereditatem incorruptibilem et incontaminatam. Rom. 1. 23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. 1. Petr. 1. 23. Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili.

Vocabulum in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Lactantium, Hieronymum, Augustinum). Aug. civ. 22. 26. Ille igitur carnem incorruptibilem, immortalem, spiritalem resuscitabit.

Ininterpretabilis, - e.

Hebr. 5. 11. De quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum.

Illud rarum adiectivum non legitur, nisi apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Tertullianum, Rufinum, Primasium).

Investigabilis, - e.

Rom. 11. 33. quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Ephes. 3. 8. In Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.

Illud vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Irenaeum, Lactantium, Hieronymum, Augustinum). August. civ. 1. 28. et 20. 1. et inscrutabilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius.

Irreprehensibilis, - e.

Tit. 2. 8. Verbum sanum, irreprehensibile. 1. Tim. 3. 2. oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse. 1. ibid. 5. 7. Et hoc praecipe, ut irreprehensibiles sint. 1. ibid. 6. 14. Ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini. Adde etiam Col. 1. 22.

Vox legitur apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Tertulliano (cf. Firmicum Maternum, Arnobium, Hieronymum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. ep. 4. p. 31. 5. personas legitimi atque irreprehensibilis tori.

Odibilis, - e.

Tit. 3. 3. Eramus enim aliquando et nos... agentes, odibiles, odientes invicem. Rom. 1. 30. Detractores, Deo odibiles, contumeliosos.

Vocabulum non legitur, nisi apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde ab Itala usque ad sexti saeculi exitum (cf. Ire-

naeum, Novatianum, Luciferum, Ambrosium, Lampridium, Augustinum, Cassiodorum).

P a s s i b i l i s, - e.

Jac. 5. 17. Elias homo erat similis nobis passibilis.

Vocabulum non legitur, nisi apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Tertulliano (cf. Irenaeum, Prudentium, Caelium Aurelianum, Hieronymum).

R a t i o n a b i l i s, - e.

Rom. 12. 1. ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem... rationabile obsequium vestrum. 1. Petr. 2. 2. Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite.

Vocabulum ante ecclesiasticorum tempus nullo certo loco legitur. Roensch in Itala et Vulgata in pagina 113. indicat locum apud Celsum: id. Med. 1. praef., tamen alii ponunt rationalis vocem, quae illa in praefatione saepe exstat. Etiam Senecam philosophum usum esse illo vocabulo Roensch ibidem et Totius Latinitatis Lexicum referunt: Sen. vit. beat. 14. 1. Rationabilem porro sortitis naturam quae melius res quam ratio proponitur. Tamen etiam ille locus non est certus, nam Codex Vratislaviensis Ratiocinabilem, Codex Guelferbytanus Rationalem praebent.

Illo adiectivo usi sunt ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad septimum saeculum, velut Lactantius, Ambrosius, Augustinus, Sulpicius Severus, Martianus Capella, Isidorus. Mart. Cap. 1. 5. Rationabili igitur proposito constituit pellere caelibatum.

R e p r e h e n s i b i l i s, - e.

Gal. 2. 11. Cum autem venisset Caephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

Illam vocem non adhibuerunt, nisi ecclesiasticorum temporis scriptores, praesertim quarti saeculi (cf. Rufinum, Lactantium, Hieronymum, Ambrosium, Salvianum).

S u a d i b i l i s, - e.

Jac. 3. 17. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens.

Illud adiectivum legitur tantummodo apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Irenaeum, Augustinum, Orosium). Aug. civ. 18. 51. sive suadibili doctrina cum eis agatur, sive terribili disciplina.

2. De adiectivis in - alis, - arius, - ilis exeuntibus.

Cum adiectiva in - alis, tum etiam in - arius exeuntia maxima ex parte tantum inde a posterioris temporis scriptoribus, praesertim ecclesiasticis, in usum venerunt. E 1220 a Pauckerio collectis in - alis exeuntibus adiectivis 42 iam apud antiquissimos scriptores in usu fuerunt, 105 Ciceronis aetate in sermone soluto, 64 e 100 partibus illorum post Hadriani aetatem in conspectum venerunt. Illa adiectiva praecipue orationis solutae scriptoribus adamata sunt.

Plurima in - alis exeuntium adiectivorum sunt derivativa, eaque a substantivis denominata. Nonnulla etiam ab adiectivis, velut aequalis, aeternalis, alia a nominibus numeralibus, velut singularis, dualis denominata sunt. Nostra adiectiva concorporalis et subiugalis adverbiales voces sunt, ut etiam extemporalis, quod a praepositione ex et substantivo tempus, subocularis a sub oculis formatum est.

Lingua Latina etiam in - arius exeuntibus adiectivis abundat. Inter 1330 a Pauckerio relata similiter cadentia adiectiva ante Ciceronis aetatem 85, Ciceronis aetatis 141, inter Ciceronis aetatem et post Hadriani tempus 310, post Hadriani denique aetatem 710 in conspectum venerunt. Tres ex quattuor illorum adiectivorum partibus substantivorum more adhibentur. Iam apud Plautum 32 masculini, 4 feminini et 9 neutri generis pro substantivis adhibita similiter cadentia vocabula leguntur. Etiam in apostolorum epistolis adhibitas similiter cadentes voces, velut arcarius, fornicarius, inter substantiva posui, nam in Litteris Sacris substantivorum more usurpanur. In - arius exitum habentia adiectiva aut a substantivis aut ab adiectivis denominata sunt: antiquarius ab adiectivo antiquus, annonarius et nostrum adverbium voluntarie a substantivis annona et voluntas derivata sunt. Sunt in - arius exeuntia adiectiva, velut fractarius, praecidarius, quae etiam aliter derivata sint. Fractarius enim a participio perfecti passivi, praecidarius a tempore praesenti derivata sunt.

Adverbium gentiliter formatum est ex adiectivo gentilis, quod a substantivo gens denominatum est. Fere omnia tamen cetera in - ilis exeuntia adiectiva aut a verbis derivata sunt, velut bibilis, docilis, facilis, fragilis, volatilis, deletilis, aut, quamquam a substantivis denominata, velut umbratilis, fluvia-

tilis, significationem tamen participii perfecti passivi habent et orta sunt ab iis participiis, quae a nominibus, non a verbis formata sint (Stolz, p. 514, 532. sq.).

C a r n a l i s, - e.

2. Cor. 10. 4. Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt. 2. ibid. 3. 3. non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 1. ibid. 3. 1. non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Rom. 7. 14. lex spiritualis est: ego autem carnalis sum. Adde Col. 3. 22., 2. Cor. 1. 12.

Carnalis propria significatione est e carne constans, animalis. Hac significatione vox in usu fuit apud Irenaeum, Tertullianum, Caelium Aurelianum, Dracontium, Rufinum, etiam in Itala et Vulgata. Saepius tamen haec vox apud scriptores ecclesiasticos translate usurpata est. Carnalis translata significatione est corporalis, temporalis, terrenus, libidinosus. Eadem vi etiam in Vulgata saepius legitur. Translate vocem adhibet etiam Minucius Felix, Tertullianus, Hilarius, Augustinus, Sedulius, Cassiodorus, Alcimius Avitus, Venantius Fortunatus. Ven. Fort. carm. 11. 9. 10. Praeterea venit missus cum collibis altis Undique carnali monte superbus apex.

Vocabulum etiam in linguas novicias e lingua Latina ortas transiit. Carnalis enim Italice carnale, Francogallice charnel, Hispanice carnal dicitur.

C o n c o r p o r a l i s, - e.

Ephes. 3. 6. Gentes esse cohaeredes, et concorporales, et comparticipes promissionis.

Antea nonnulli putabant (sic Georges) Ammianum Marcellinum illud vocabulum e sermone castrensi sumpsisse, in quo propter convictum commilitonum multa vocabula cum praepositione con - in usu fuerunt. Emendato tamen uno Ps. Quintiliani loco, Albertus Becker[1]) Ammianum Marcellinum illud adiectivum e Ps. Quintiliano sumpsisse docet. Ille Ps. Quintiliani emendatus locus est Decl. 14. 12. Si patior miser illas lupanarum insultationes, illa concorporalium maledicta, convicia, non possum satis tormentorum exprimere mensuram. Prius pro „concorporalium“ ponebatur „corporarium, compotantium, scortatorum“.

G e n t i l i t e r.

---

1) Archivum vol. 13., p. 200.

Gal. 2. 14. cum Iudaeus sis, gentiliter vivis, et non Iudaice.

Illud adverbium non legitur, nisi apud posterioris temporis scriptores. Apud ethnicos gentiliter est secundum gentis ritum, i. q. more, sermone patrio: Solin. 11. 8. Cretes Dianam religiosissime venerantur, Britomartem gentiliter nominantes. Apud scriptores ecclesiasticos gentiliter est more gentilium, habita ratione religionis (cf. Italam, Fulgentium Ruspensem, Augustinum).

Originalis, - e.

2. Petr. 2. 5. Et originali mundo non pepercit.

Illud adiectuvum in litteris Latinis legitur inde ab Apuleio: id. Met. 11. 2. tu Ceres alma frugum parens originalis. Vocabulo usi sunt ecclesiasticorum temporis scriptores et iurisconsulti (cf. Tertullianum, Hieronymum, Macrobium, Augustinum). Vox exstat etiam in Inscriptionibus Latinis.

Subiugalis, - e.

2. Petr. 2. 16. subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetae insipientiam.

Vocabulum in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala (cf. Prudentium, Hieronymum, Augustinum).

Voluntarie.

Hebr. 10. 26. Voluntarie enim peccantibus nobis. Jac. 1. 18. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis. 1. Petr. 5. 2. neque turpis lucri gratia, sed volutarie.

Illud adverbium legitur inde ab Hygino (fab.) usque ad sexti saeculi exitum. Vocem adhibet Hyginus in fabulis, Arnobius, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius Ruspensis, Orosius, Claudianus Mamertus, Cassiodorus. Cassiod. var. 9. 2. 5. voluntarie serviendo liberae sunt.

3. De adiectivis in - aneus exeuntibus.

Quamquam nonnulla in - aneus exeuntium adiectivorum, velut circumforaneus, consentaneus, extraneus, mediterraneus, supervacaneus apud Ciceronem, fere omnia illorum etiam in orationibus leguntur, similiter cadentia tamen adiectiva omnino vulgaria sunt et maxima ex parte posterioribus tantummodo temporibus in conspectum venerunt. (B. Kübler, Arch., VIII., p. 170). Illam Küblerii sententiam etiam magis confirmat ea res, quod nonnulla similiter cadentium adiectivorum, velut suc-

cedaneus, quae apud Plautum leguntur, tantummodo apud multo posterioris temporis scriptores, velut Frontonem, Apuleium denuo in usum venerunt. Apud Varronem conditaneus, apud Columellam subitaneus, interaneus legitur. Plurima cetera similiter cadentia adiectiva, velut nostrum coaetaneus, momentaneus et alia posteriore tantummodo tempore in conspectum venerunt.

In - aneus exitum habentia adiectiva aut a substantivis, ut nostrum momentaneus, aut ab adverbiis vel adverbialibus vocibus, ut spontaneus, coaetaneus, derivata sunt.

Coaetaneus, - a, - um.

Gal. 1. 14. Et proficiebam in Iudaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo.

Vocabulum legitur inde ab Apuleio usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum, Isidorum). Apul. met. 8. 7. Illum amicum, coaetaneum, contubernalem addito nomine lugubri ciere... Charites.

Momentaneus, - a, - um,

2. Cor. 4. 17. Id enim, quod in praesenti est momentaneum.

Momentaneus est qui momento temporis, vel brevi facile mutatur ac deficit. Illud adiectivum ecclesiasticorum temporis est (cf. Tertullianum, Hieronymum, Ambrosium, Laurentium, Fulgentium). Sunt, qui et Livio tribuant: id. 2. 7. 10. tam levi atque momentanea apud vos fama pendere vel tam levi momentaneaque apud vos fama pende. Nunc autem multi viri docti illum locum melius legunt: tam levi momento mea apud vos fama pendet. Primus igitur illa voce Tertullianus est usus.

Spontanee.

1. Petr. 5. 2. providentes non coacte, sed spontane(e) secundum Deum.

Adverbium spontanee (ab adiectivo spontaneus fictum) legitur tertio, quarto et quinto saeculo (cf. Hosidium, Hieronymum, Theodorum Priscianum). Non solum illud adverbium, sed etiam adiectivum spontaneus, ex quo adverbium formatum, apud optimos scriptores non legitur.

4. De adiectivis aliter exeuntibus.

Administratorius est adiectivum a substantivo administrator denominatum. Etiam cetera similiter cadentia adiectiva a substantivis in - tor (-sor) exitum habentibus derivata sunt. Illa

adiectiva apud posterioris temporis scriptores in maximum venerunt usum[1]).

Adiectivum Iudaicus et adverbium Iudaice a substantivo Iudaei, quod populi nomen est, derivata sunt. In - icus exeunt multa adiectiva, velut bellicus, modicus, publicus et alia. Illa aut a substantivis, aut ab adiectivis denominata sunt. Sunt etiam a verbis derivata, velut mordicus, medicus, quod proprie adiectivum fuit. Inter similiter cadentia adiectiva praecipue adamata sunt a populorum vel locorum nominibus derivata, velut Africus, Gallicus, Germanicus, Hispanicus et nostrum Iudaicus. Nostrum adiectivum querulosus et maxima ex parte alia similiter cadentia a substantivis denominata sunt. Apud posterioris temporis scriptores in - osus exeuntia adiectiva leguntur etiam ab aliis adiectivis denominata: anxiosus apud Caelium Aurelianum, dubiosus apud Gellium, ridiculosus apud Hieronymum et alia. In - osus exitum habentia adiectiva per omne tempus in maximo usu fuerunt in lingua Latina, neque nunc in linguis noviciis e lingua Latina ortis interierunt. Nonnulli viri docti similiter cadentia substantiva in sermone plebeio etiam latius patuisse atque apud bonos scriptores docent[2]). Varronem enim, Catonem ceterosque rei rusticae scriptores in - osus exeuntia adiectiva in deliciis habuisse. Mihi tamen per se similiter cadentia adiectiva non vulgaria videntur, tantummodo sermonis vulgaris scriptores multa ab optimis scriptoribus vitata ad approbatorum exemplum denominaverunt aut e sermone communi sumpserunt.

Reprobus est illorum adiectivorum, quae, velut accomodus, resonus et nonnulla alia, a verbis retrograde, ut ita dicam, derivata sunt.

A d m i n i s t r a t o r i u s, - a, - u m.

Hebr. 1. 14. Non omnes sunt administratorii spiritus. Vocabulum in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos (adde Hieronymum, Augustinum).

I u d a i c e.

Gal. 2. 14. gentiliter vivis et non Iudaice.

Illud adverbium ab adiectivo Iudaicus, quod a Iudaei, nomine populi, formatum est. Vocabulum non legitur, nisi apud

---

1) Paucker. Spicilegium, p. 148, 30.

2) A. Koehler. Acta Sem. Erl. I., p. 377.

ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Hieronymum, Cassiodorum).

Q u e r u l o s u s, - a, - u m (etiam querelosus, querellosus).

Iud. 16. Hi sunt murmuratores querulosi.

Illud adiectivum in litteris Latinis non legitur, nisi apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Porphyrione usque ad sexti saeculi exitum (cf. Hieronymum, Cassiodorum). Cassiod. var. 7. 12. 2. ut, cum res querelosas sine querimoniis egeris, maiora de nostro examine merearis.

R e p r o b u s, - a, - u m.

1. Cor. 9. 27. ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. 2. ibid. 13. 5. nisi forte reprobi estis. Rom. 1. 28. tradidit illos Deus in reprobum sensum. 2. Tim. 3. 8. homines corrupti mente, reprobi circa fidem. 2. Cor. 13. 6. quia non sumus reprobi. 2. ibid. 13. 7. ut reprobi simus. Hebr. 6. 8. (Terra) Proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est

Vocabulum in usu non fuit, nisi apud ecclesiasticorum temporis scriptores et iurisconsultos inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf. Cyprianum, Novatianum, Augustinum, Alcimium Avitum, Venantium Fortunatum). Ven. Fort. carm. 5. 1. 9. reprobum reconcilies post reatum.

5. De adiectivis (et adverbiis) compositis.

Bona aetate quamquam in sermone communi, vel potius castrensi, in usu fuerunt plura composita adiectiva, quorum prima compositionis pars praepositio cum - erat, in litteris tamen perpauca adhibita sunt. Apud Ciceronem legitur compascuus, concavus. Pauca illorum etiam aliquid post bonam aetatem in usum venerunt, velut coaequalis, quod inde a Petronio, coaequus inde a Plinio, collectaneus inde a Suetonio legitur. Plurima tamen illorum adiectivorum tantummodo inde a scriptoribus ecclesiasticis, praesertim inde a Lucifero in conspectum venerunt. Praeter adiectiva contemptibilis, corruptibilis, concorporalis, coaetaneus, quae iam in prioribus capitibus rettuli, huc spectat etiam adiectivum comparticeps, e praepositione cum - et adiectivo particeps formatum.

Nonnulla composita adiectiva ex in -, particula privativa, et participio praesentis activi formata sunt. Similiter ficta adiectiva composita, velut impatiens, impudens, innocens et alia etiam

apud bonos scriptores leguntur. E similiter facto adiectivo indesinens in apostolorum epistolis adhibitum adverbium indesinenter formatum est. Insolitiora sunt adiectiva, ex in -, particula privativa, et participio perfecti passivi formata. Multa similiter composita adiectiva in usum venerunt inde a poetis, qui inauditis vocabulis uti solebant. Immetatus, impermissus, inominatus, irresectus et alia adiectiva inde ab Horatio, etiam plura inde ab Ovidio, praesertim a Vergilio leguntur: inadustus, incommendatus, inconsumptus et alia inde ab Ovidio, inaratus, inemptus, implacatus, indefessus et multa alia inde a Vergilio in conspectum venerunt. Apud nonnullos posterioris temporis scriptores sunt in prima compositionis parte in -, particulam intentivam, habentia, quae simplici forma non legantur, velut illaedibilis, inacceptibilis, incontristabilis et multa alia. In apostolorum epistolis illius generis vulgaria composita non inveni.

Adiectiva, quorum prima compositionis pars est super -, bona aetate rarissima sunt. In apostolorum epistolis praeterea exstant inde ab ecclesiasticorum tempore adhibita adverbia desursum et superabundanter, quorum unum e praepositione de et adverbio sursum compositum, alterum vero formatum ex adiectivo superabundans, quod proprie est participium praesentis activi verbi superabundo, e praepositione super - et verbo simplici abundo compositi.

Primogenitus et unigenitus sunt adiectiva composita, quorum secunda pars est participium perfecti passivi genitus. Cetera adiectiva composita, quorum prior compositionis pars est uni - omnino differunt a nostro, velut unicaulis, unicalamus, unicolorus, unijugus, quae apud Plinium, unicolor apud Varronem, unimembris apud Ulpianum legitur.

Legisperitus est adiectivum compositum, cuius partes etiam bona aetate separatim adhibitae coaluerunt.

Aliquid dicendum est etiam de adiectivis (et adverbiis), e duobus nominibus compositis. Nonnulla composita adiectiva, quorum posterior pars est - animis, etiam alium exitum in - animus habent. Magnanimus apud Ciceronem legitur, idem adiectivum altera, in - animis cadente forma, tantummodo inde ab Irenaeo in conspectum venit. Nonnulla illorum etiam apud eosdem scriptores utraque forma adhibita sunt. Et inanimus et inanimis apud Apuleium legitur. Exanimus et exanimis pariter aequaliterque in usu fuerunt.

C o m p a r t i c e p s, - c i p i s.

Ephes. 3. 6. Gentes esse cohaeredes, et concorporales, et comparticipes promissionis.

Vox legitur apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala (cf. Hilarium, Hieronymum, Augustinum, Maximum Taurinum, Leonem Magnum).

D e s u r s u m.

Jac. 3. 15. Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. Ibid. 3. 17. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est.

Desursum est compositum adverbium, formatum ex praepositione de - et adverbio - sursum. Vox usurpata est imprimis in Litteris Sacris et apud scriptores ecclesiasticos; legitur usque ad exeuntem antiquitatem et transiit in linguam Francogallicam, ubi dessus dicitur (cf. Tertullianum, Hieronymum, Novatianum, Augustinum, Ps. Oviidum).

I m p o e n i t e n s, - e n t i s.

Rom. 2. 5. Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram.

Illud rarum adiectivum legitur in declamatione, quae inscribitur Tribunus Marianus, et apud scriptores ecclesiasticos (adde Cyprianum, Hieronymum).

I n d e s i n e n t e r.

Hebr. 10. 1. per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere.

Vocabulum est ecclesiasticorum temporis (cf. Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Ennodium, Orosium). Nonnulli etiam Varroni tribuunt: id. rust. 2. 9. 16. et si alter indesinenter aeger est. Plurimis tamen viris doctis illa lectio re vera mendosa videtur. Non solum adverbium, sed etiam adiectivum indesinens, ex quo illud adverbium formatum est, legitur tantummodo apud ecclesiasticorum temporis scriptores, velut apud Rufinum, Ennodium.

I n s e n s a t u s, - a, - u m.

Gal. 3. 1. O insensati Galatae.

Vocabulum non legitur, nisi apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Cyprianum, Luciferum, Augustinum, Vigilium Thapsensem).

L e g i s p e r i t u s, - a, - u m.

Tit. 3. 13. Zenam legisperitum et Apollo solicite praemitte.

Illud rarum adiectivum praeter Vulgatam etiam apud Rufinum legitur.

L o n g a n i m i t e r.

Hebr. 6. 15. Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem.

Illud adverbium non legitur, nisi apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Fulgentium, Cassiodorum).

P r i m o g e n i t u s, - a, - u m.

Col. 1. 18. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis. Hebr. 1. 6. introducit primogenitum in orbem terrae. Rom. 8. 29. ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

Vox legitur apud ecclesiasticorum temporis scriptores: Lactantium, Palladium, Sulpicium Severum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum et alios. Alc. Avit. hom. 4. p. 106. 26. Fit Christus... non unigenitus, sed sicut apostolus dicit primogenitus. Substantivorum more adhibita vox, velut etiam in illo Hebr. 1. 6., exstat etiam apud Plinium: 11. 95. (40). Primogenitis in quoque partu sues primas (mammas) praebent. Alii etiam primis genitis legunt.

P u s i l l a n i m i s, - e.

1. Thess. 5. 14. Corripite inquietos, consolamini pusillanimes.

Illud adiectivum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano usque ad sextum saeculum. Vocem adhibet Hieronymus, Augustinus, Claudianus Mamertus, Sidonius.

S u p e r a b u n d a n t e r.

Ephes. 3. 20. qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intellegimus.

Adverbium superabundanter e participio superabundans verbi superabundo formatum est. Non solum illud adverbium, sed etiam participium et verbum non legitur, nisi inde a scriptoribus ecclesiasticis. Adverbium superabundanter rarissime legitur, nam praeter laudatum Vulgatae locum et illum apud Augustinum lexica non indicant.

S u p e r e m i n e n s, e n t i s.

Ephes. 3. 19. Scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi. Ibid. 1. 19. Et quae sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos.

Supereminens est participium verbi superemineor, adiectivorum more etiam adhibitum. Vocabulum in usu fuit apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Irenaeum, Augustinum, Fulgentium). Nonnulli illam vocem etiam Plinio Maiori et Senecae philosopho tribuunt. Plin. nat. 26. 33. 1. paulum supereminens extra aquam (de herba). Alii tamen etiam semper eminens legunt. Sen. nat. 5. 15. 1. vidisse flumina ingentia et conceptus aquarum inertium vastos, pares nostris nec conpressos quidem terra supereminente. Alii rectius tamen superimminente legunt.

Unigenitus, - a, - um.

Hebr. 11. 17. Fide obtulit Abraham Isaae cum tentaretur, et unigenitum offerebat.

Vox legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano usque ad sextum saeculum (cf. Hieronymum, Hilarium, Augustinum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. hom. 4. p. 106. 25. Fit Christus in hodierna festivitate non unigenitus.

6. De participiis adiectivorum more adhibitis.

Nonnulla illa adiectiva (et adverbia) iam de adiectivis compositis disserens rettuli. Huc spectat etiam adiectivum odiens e participio praesentis activi fictum et adverbium coacte, formatum ex adiectivo coactus, quod proprie participium perfecti passivi est. Plura de illis adiectivis dixi de substantivorum more adhibitis adiectivis et participiis disserens.

Coacte.

1. Petr. 5. 2. Pascite... gregem Dei, providentes non coacte, sed spontane.

Adverbium coacte legitur apud Gellium, Tertullianum, Hieronymum, Ammianum, Caelium Aurelianum. Gell. 10. 11. 8. Cum significandum autem est, coactius quid factum et festinantius, tum rectius „praemature" factum id dicitur quam „mature".

Odiens, - entis.

Tit. 3. 3. Eramus enim aliquando et nos... odibiles, odientes invicem. Rom. 12. 9. Odientes malum, adhaerentes bono.

Odiens est participium defectivi verbi odi, adiectivorum more etiam adhibitum. Ante ecclesiasticorum tempus non legitur. Usus est illo adiectivo Tertullianus, Irenaeus, Rufinus, Hie-

ronymus, Augustinus, Salvianus. Illa vox tribuitur etiam Petronio: id. sat. 132. et quidam tragici oculos suos tanquam odientes castigant. Alii tamen „audientes" legunt.

b) De adiectivis, quae iam ante ecclesiasticorum tempus in usu fuerunt.

1. De adiectivis in - bilis exeuntibus.

Praeter adiectivum irrationabilis, quod a substantivo denominatum est, cetera omnia huc spectantia adiectiva a verbis derivata sunt. Etiam inter similiter cadetia ante ecclesiasticorum tempus in apostolorum epistolis adhibita adiectiva sunt, quae et activam et passivam significationem habeant. Visibilis enim est et qui videre et qui videri potest. Plura de illis vocibus dixi adiectiva inde ab ecclesiasticorum tempore adhibita disserens.

Execrabilis, - e.

2. Petr. 2. 11. Angeli... non portant adversum se execrabile iudicium.

Vocabulum legitur inde a Livio: id. 9. 26. 4. odium, quod exsecrabile in bis captos erat. Voce usus est etiam Plinius Maior, Seneca philosophus, Valerius Maximus et ecclesiastici (cf. Augustinum).

Honorabilis. - e.

Hebr. 13. 4. Honorabile connubium in omnibus.

Vox apud scriptores bonae aetatis non legitur, nisi solo loco apud Ciceronem: id. senect. 18. (63). Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia. Deinde vox legitur apud Livium et apud posterioris temporis scriptores (cf. Irenaeum, Ammianum, Augustinum, Isidorum).

Impossibilis, - e.

Hebr. 6. 4. Impossibile est enim eos... rursus renovari ad poenitentiam. Ibid. 6. 18. impossibile est mentiri Deum. Rom. 8. 3. quod impossibile erat legi.

Impossibilis et possibilis sunt nomina adiectiva, quae primi iurisconsulti Vespasiani temporis adhibuerint. Aliquanto post illa adiectiva erant philosophorum et rhetorum pro Graecis δυνατὸς et ἀδυνατός; Quint. inst. 3. 8. 25. qui tertiam partem dixerunt δυνατόν, quod nostri possibile nominant; quae, ut dura videatur appellatio, tamen sola est. Voce est usus etiam

Apuleius et alii eiusdem et posterioris temporis scriptores usque ad septimum saeculum (cf. Minucium Felicem, Tertullianum, Iustinum, Macrobium, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, Venantium Fortunatum). Min. Fel. 19. 14. in publicum dicere inpossibile praefatur.

Incomporehensibilis, - e.

Rom. 11. 33. quam incomprehensibilia sunt iudicia eius (Dei).

Vocabulum legitur apud primi post Christum natum saeculi scriptores ethnicos et ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Columellam, Senecam philosophum, Plinium Iuniorem, Celsum, Quintilianum, Censorinum, Macrobium, Rufinum, Hieronymum, Paulinum Nolanum).

Indeclinabilis, - e.

Hebr. 10. 23. Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

Vox legitur apud posterioris temporis scriptores inde a Seneca philosopho: id ep. 66. omnibus enim istis una virtus subest quae animum rectum et indeclinabilem praestat. Usus est illa voce etiam Gellius, Diomedes, Ammianus, Prosperus, Priscianus.

Inenarrabilis, - e.

1. Petr. 1. 8. credentes autem exultabitis laetitia inenarrabili, et glorificata.

Illud vocabulum legitur inde a Livio: id. 44. 5. 1. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina iumentorum sarcinarumque. Voce usus est etiam Velleius, Plinius Maior, Seneca philosophus et ecclesiastici: Prudentius, Lactantius, Hieronymus.

Inexcusabilis, - e.

Rom. 2. 1. Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas. Ibid. 1. 20. Sempiterna quoque eius virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles.

Inexcusabilis est qui nihil habet excusationis, non excusandus. Illud adiectivum in usu fuit apud bonae aetatis poetas: Ovidium, Horatium et ecclesiasticorum temporis scriptores: Chalcidium, Ambrosium.

Insolubilis, - e.

Hebr. 7. 16. Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitae insolubilis.

Vox legitur apud Senecam phil., Quintilianum. Sen. 4. Benef. 12. 1. Dicitis, inquit, beneficium creditum insolubile esse.

Vocabulo usi sunt etiam ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Minucio Felice (cf. Lactantium, Macrobium, Hieronymum). Min. Fel. 34. 4. cum ipsum mundum perpetuum et insolubilem diceret esse fabricatum.

I n v i s i b i l i s, - e.

Col. 1. 15. Qui est imago Dei invisibilis. Rom. 1. 20. Invisibilia enim ipsius (Dei), a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur. Hebr. 11. 3. Fide intellegimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.

Illud adiectivum legitur inde a Celso. Id. praef. ante med.: si manantia corpuscula, per invisibilia foramina subsistendo, iter claudunt. Apud ecclesiasticos invisibilis est qui cerni non potest, qui sub oculos non cadit, occultus. Legitur apud Lactantium, Macrobium, Chalcidium, Prudentium, Paulinum Nolanum, Alcimium Avitum. Alc. Avit. c. Arian. 28. p. 11. 30. quia sicut per se invisibilis erat divinitas.

I r r a t i o n a b i l i s, - e.

2. Petr. 2. 12. Hi vero velut irrationabilia pecora.

Irrationabilis est rationis expers. Legitur inde a Celso. Vocabulo est usus Quintilianus et scriptores ecclesiastici: Tertullianus, Lactantius, Salvianus, Hieronymus. Nonnulli etiam Senecae philosopho tribuunt; id. epist. 118. 14. ille enim irrationabillis est, hic rationabilis. Alii tamen rationalis, inrationalis legunt.

Irrationabilis Italice irragionevole, Francogallice irraisonnable dicitur.

P e n e t r a b i l i s, - e.

Hebr. 4. 12. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.

Vox legitur inde a bonae aetatis poetis, ab Ovidio et Vergilio. Vocem usurpant etiam posterioris temporis poetae: Statius, Silius. Legitur etiam apud Senecam philosophum, Tacitum et apud ecclesiasticorum temporis scriptores, praesertim quarti et quinti saeculi (cf. Gellium, Macrobium, Paulinum Nolanum, Augustinum).

P e r s u s s i b i l i s, - e.

1. Cor. 2. 4. Et sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis.

Vox in litteris Latinis admodum rara est. Usus est illa aliquoties Quintilianus et Hieronymus. Quintilianus vocem usur-

pat, cum de rhetorica definitione disserit et transfert in linguam Latinam Aristotelis et aliorum vocem πιθανός Quint. 2. 15. 13. Quidam recesserunt ab eventu, sicut Aristoteles, qui dicit, rhetorice est vis inveniendi omnia in oratione persuasibilia.

V i s i b i l i s, - e.

Hebr. 11. 3. ut ex invisibilibus visibilia fierent. Coloss. 1. 16. Quoniam in ipso condita sunt universa in coelis, et in terra, visibilia, et invisibilia.

Visibilis est adiectivum, quod plurali numero etiam substantivorum more adhibeatur. Visibilis est qui videre potest. Illa significatione vox legitur inde a Plinio Maiore: id. 11. 37. 54. Animo autem videmus, animo cernimus: oculi ceu vasa quaedam visibilem eius partem accipiunt atque transmittunt. Visibilis est etiam qui videri potest, qua significatione legitur apud Apuleium et ecclesiasticos: Prudentium, Augustinum, Alcimium Avitum. Alc. Avit. c. Eutych. 2. p. 28. 2. recepti corporis situ visibilem oculis digitisque palpabilem.

2. De adiectivis in - ivus exeuntibus.

In - ivus exeuntia adiectiva maxima ex parte posterioribus temporibus derivata sunt. Plurima illorum e participio perfecti passivi formata sunt. Significatio illorum magna ex parte, praesertim antiquioribus temporibus, passiva fuit. Illa significatione apud Plautum legitur abditivus, adscriptivus, captivus, adoptivus, subditivus et alia, comparativus apud Ciceronem, Quintilianum, definitivus apud Ciceronem. Sunt etiam adiectiva, quae utramque significationem habeant, velut iam inde a Plauto usurpatum conlativus. Fest. p. 58: Collativum ventrem magnum et turgidum dixit Plautus, quia in eum omnia edulia congeruntur. Alio quidem loco idem scriptor passivam illius adiectivi significationem refert: Fest. p. 37: Collativum sacrificium dicitur, quod ex collatione offertur. Posterioribus tamen temporibus derivatorum adiectivorum activa, praesertim potentialis significatio plus valere coepit.

A Servio usurpatum adiectivum consitivus est qui conseri potest, imperativus est qui imperat.

Multo minor pars similiter cadentium adiectivorum est a participio praesentis activi derivata, velut vocivus (inde a Plauto), internecivus, nostrum nocivus et alia.

A participiis derivata similiter cadentia adiectiva etiam ad adiectivorum more adhibita participia spectare possunt.

Sunt praeterea in - ivus exeuntia adiectiva, quae non a verbis, sed a nominibus derivata sint. Huc spectant aestivus, festivus, sementivus, tempestivus et nostrum primitivus.

A b o r t i v u s, - a, - u m.

1. Cor. 15. 8. Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est et mihi.

Illud vocabulum quamquam apud optimos scriptores non legitur, in usu tamen fuit inde ab Horatio: id. sat. 1. 3. 45. male parvus. Si cui filius est, ut abortivus fuit olim Sisyphus. Ex orationis solutae scriptoribus primus illo adiectivo Plinius Maior, etiam aliquoties, est usus: id. nat. 24. 18. Portentum est, quod tradunt, abortivum fieri in venere ante perfusa virilitate. In maiorem tamen usum vocabulum venit apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde ab Itala et Tertulliano (cf. Irenaeum, Hieronymum, Paulinum Nolanum, Augustinum).

N o c i v u s, - a, - u m.

1. Tim. 6. 9. incidunt in... desideria multa inutilia, et nociva.

Adiectivum nocivus in litteris Latinis admodum rarum est. Usus est illo etiam Plinius Maior, Phaedrus, Herma (pastor). Adverbium nocive legitur apud Venantium Fortunatum: id. Vit. s. Mart. 3. 311. innocuum pecudem desiste agitare nocive.

P r i m i t i v u s, - a, - u m.

Rom. 16. 5. Salutate Epaenetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiae in Christo. Hebr. 12. 23. Et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis. Ibid. 12. 16. qui propter unam escam vendidit primitiva sua.

Primitivus proprie est adiectivum substantivorum more etiam adhibitum. Vocabulum in litteris Latinis legitur inde a Columella, qui aliquoties illud adhibet: id. arb. 23. 1. Ea res et fertilem arborem reddet et primitivos annos fructum vinosum. In maiorem tamen usum venit apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Solinum, Hilarium, Ambrosium, Prudentium, Priscianum).

3. De adiectivis in - ulus exeuntibus.

In - ulus exitum habentia adiectiva a verbis derivata sunt. Cernulus a verbo cerno, edentulus ex edento, gerulus e gero

formata sunt. Illis adiectivis participii praesentis activi vis subiecta est, adiectivi edentulus quidem vis passiva est. Nostrum adectivum incredulus in utramque rem valet. Incredulus enim et qui non credit, ut apud Horatium, Quintilianum, et incredibilis, ut apud Gellium est. Similiter cadentia adiectiva in dies magis magisque usurpari desierunt et fere omnia, velut formula, iaculum, regula substantiva facta sunt.

Masculus proprie est in - culus exitum habens deminutivum a vocabulo mas.

I n c r e d u l u s, - a, - u m.

Tit. 3. 3. Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes.

Vocabulum legitur inde ab Horatio: id. ars. 188. Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi. In maiorem tamen usum venit inde a posterioris temporis scriptoribus (cf. Senecam phil., Quintilianum, Gellium). Usi sunt illa voce etiam ecclesiastici scriptores: Cyprianus, Hieronymus, Alcimius Avitus. Alc. Avit. carm. 4. 311. Humani generis quid mens incredula reris Mortalem non posse manum coniungere ponto.

M a s c u l u s, - a, - u m.

Rom. 1. 27. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu foeminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.

Masculus est proprie adiectivum deminutivum a mas. Quamquam deminutivum sit, idem tamen est ac mas. Vocabulum in usu fuit iam inde a Plauto: id. Cist. 705. Bona femina et malus masculus volunt te. Bona aetate vocabulum non legitur, nisi apud poetas: Vergilium, Horatium, Ovidium. Verg. ecl. 8. 65. Verbenasque adole pinguis et mascula tura. Apud Caesarem et Ciceronem quamquam masculus omnino abest, mas tamen legitur: Caes. Gall. 6. 26. 2. Eadem est feminae marisque natura (statura), eadem forma magnitudoque cornuum. Cicero quamquam maris vocem in orationibus non adhibet, in litteris tamen ad philosophiam pertinentibus illa saepius est usus.

Primus orationis solutae scriptorum illo vocabulo est usus Vitruvius et Livius. Liv. 31. 12. 6. In Sabinis incertus infans natus, masculus an femina esset. Nonius Marcellus tamen etiam unum Varronis locum memoriae tradidit: Non. 2. (apud Lindsayum p. 205.) Masculum pro forti ac vehementi. Varro "Ονος Λύρας (369): „si non plus testiculorum offenderis quam in cas-

trato pecore in Apulia, vincor non esse masculum ad rem". Vox in usu fuit etiam apud Senecam rhetorem, Plinium Maiorem, Statium et apud ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad sexti saeculi exitum (cf. Apuleium, Phaedrum, Cassiodorum).

4. De adiectivis in - alis, - aris, - arius exeuntibus.

In - aris exeuntia adiectiva cum significatione, tum etiam usu minime differunt ab adiectivis in - arius exeuntibus. Apud Catonem enim morbus articularius, apud Plinium quidem articularis morbus, apud Plinium clavus caligarius, apud Sidonium vero clavus caligaris legitur. Fere omnia adiectiva, de quibus hic agitur, a substantivis denominata sunt. Coaequalis quidem compositum est e praepositione cum - et adiectivo - aequalis, quod ab adiectivo aequus denominatum est. Plura de similiter cadentibus adiectivis dixi de adiectivis inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis disserens.

A n g u l a r i s, - e.

Ephes. 2. 20. Superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.

Illud nomen adiectivum quamquam apud optimos scriptores non legitur, iam inde a Catone tamen in usu fuit: id. agr. 14. 1. pilas (faciet) ex lapide angulari. Usus est illo vocabulo etiam Vitruvius: id. 3. 3. (2.) 11. Etiamque angulares columnae crassiores faciendae sunt. Deinde illa vox legitur apud Columellam et ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Leonem Magnum, Martianum Capellam, Boethium). Mart. Cap. 4. 402. Angulares autem neque simul affirmari neque simul negari possunt.

A u t u m n a l i s, - e.

Iud. 12. Hi sunt... arbores autumnales infructuosae, bis mortuae, eradicatae.

Vox legitur inde a Varrone, Ovidio, Vergilio et Horatio usque ad septimum saeculum. Varro rust. 1. 28. 2. dein ad aequinoctium autumnale dies XXXII. Optimi Latini scriptores illud adiectivum non adhibent, nisi Cicero uno loco in Arateorum fragmentis, quae admodum adulescentulus scripsit, quorumque sermo parum elaboratus est. Deinde voce usi sunt multi posterioris temporis scriptores: Livius, Columella, Celsus, Hyginus,

Vegetius, Arnobius, Augustinus, Martianus Capella, Isidorus. Usi sunt praeterea etiam iurisconsulti.

C o a e q u a l i s, - e.

2. Petr. 1. 1. Simon Petrus... iis, qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem.

Illud vocabulum legitur inde a Columella et Petronio singulis locis. In maiorem tamen usum venit apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala et Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf. Ambrosium, Hieronymum, Rufinum, Augustinum, Fulgentium Ruspensem, Venantium Fortunatum). Petron. sat. 136. Dum illa carnis etiam paululum delibat et dum coaequale natalium suorum sinciput in carnarium furca reponit.

C o r p o r a l i s, - e.

1. Tim. 4. 8. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est.

Vocabulum legitur inde a Senecae epistolis, apud ecclesiasticos passim. Sen. epist. 53. 5. quanta nos vitiorum nostrorum sequeretur oblivio, etiam corporalium. Usurpaverunt vocem deinde posterioris temporis scriptores usque ad septimum saeculum (cf. Apuleium, Tertullianum, Augustinum, Arnobium, Ambrosium, Prudentium, Cassiodorum, Gregorium Magnum). Praeterea legitur etiam apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis (cf. Ulp. dig., Cod. Iust., Mod. dig. et alibi).

C o r p o r a l i t e r.

Col. 2. 9. in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.

Adverbium corporaliter a Petronio primo usurpatum est: id. sat. 61. Sed ego non mehercules corporaliter illam aut propter res venerias curavi. Illud vocabulum frequenter legitur in litteris, praesertim apud scriptores ecclesiasticos et iurisconsultos (cf. Cyprianum, Hilarium, Optatianum, Ambrosium, Marium Victorinum, Maximum Taurinum, Alcimium Avitum, Cassiodorum, Paul. dig., Cod. Iust.).

P l a g i a r i u s,- a, - u m.

1. Tim. 1. 10. lex iusto non est posita, sed... plagiariis, mendacibus, periuris.

Plagiarius est adiectivum, substantivorum more etiam adhibitum. Vox in litteris Latinis rara. Exstat semel in Ciceronis epistolis, legitur etiam apud Martialem, Senecam philosophum,

apud iurisconsultos et ecclesiasticos: Tertullianum, Hieronymum. Francogallice plagiarius dicitur plagiaire.

S p i r i t a l i s, - e (et spiritualis).

1. Cor. 14. 1. Sectamini charitatem, aemulamini spiritalia. 1. ibid. 2. 13. in doctrina Spiritus, spiritualibus, spiritualia comparantes. 1. ibid. 9. 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus... Rom. 15. 27. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis. Rom. 1. 11. ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos. Etiam Ephes. 6. 12., 1. Cor. 10. 3., 1. ibid. 10. 4., 1. Petr. 2. 5. et alibi.

Spiritalis proprie est adiectivum, substantivorum more etiam adhibitum. Spiritalis (spiritualis) proprie est ad spiritum, h. e. flatum, aërem, ventum pertinens. Vitruv. 10. 1. Est autem unum genus scandorium, quod Graece ἀκροβατικὸν dicitur: alterum spiritale, quod apud eos πνευματικὸν appellatur. Apud ecclesiasticos autem spiritalis vel spiritualis, etiam spiritalia (-ualia) n. subst., dicitur, quid ad spiritum humanum gratia divina adiutum vel regeneratum pertinet, aut qui ad illum hac ratione refertur, vel ad Spiritum Sanctum, a quo gratia illa derivatur. Potest referri etiam ad Angelos, sive bonos sive malos.

T e m p o r a l i s, - e.

Hebr. 11. 25. Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.

Dolendum esse mihi videtur, quod Roensch, cum de adverbii temporaliter formatione mentionem fecit, adiectivum temporalis admodum praeteriit. Mihi autem illud adiectivum vulgare esse videtur, nam bonae aetatis scriptores illo non sunt usi. Vox legitur apud posterioris temporis scriptores, apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis (cf. Senecam philosophum, Quintilianum, Tacitum, Vegetium, Ulpiani dig., Iustiniani Institutiones, Codicem Theodosianum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. epist. 5. p. 32. 23. Temporalis luctus est.

5. De adiectivis in - osus exeuntibus.

In apostolorum epistolis ante ecclesiasticorum tempus adhibita vulgaria in - osus exeuntia adiectiva tantummodo a substantivis denominata inveni. De similiter cadentibus vocabulis plura iam de adiectivis inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis tractans dixi.

C o n t e n t i o s u s, - a, - u m.

1. Cor. 11. 16. Si quis autem videtur contentiosus esse.

Illud vocabulum legitur inde a Plinio Iuniore: Plin. epist. 2. 19. 5. Accedit his quod oratio de qua loquor pugnax et contentiosa est. Postea praeter ecclesiasticos admodum rarum, adamatum Hieronymo et Augustino. In usu fuit usque ad septimum saeculum (cf. Alc. Avit., Cassiodorum, Isidorum). Alc. Avit. epist. 30. p. 61. 12. Et istud, quamlibet contentiosum sit, vinci potest ipso domino inter passionum contumelias proclamante.

I n f r u c t u o s u s, - a, - u m.

Iud. 12. arbores autumnales infructuosae. Ephes. 5. 11. Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Tit. 3. 14. Discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.

Vox legitur inde a primi post Christum natum saeculi scriptoribus (cf. Columellam, Plinium Iuniorem, Senecam rhetorem, Tacitum). Usi sunt illo vocabulo etiam ecclesiasticorum temporis scriptores, velut Ammianus Marcellinus, Hieronymus.

O n e r o s u s, - a, - u m.

2. Cor. 11. 9. nulli onerosus fui.

Quamquam bonae aetatis orationis solutae scriptores illam vocem non adhibuerunt, legitur tamen illud adiectivum apud poetas: Vergilium, Ovidium. Verg. Aen. 9. 384. Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda Inpediunt. Vox in usu fuit etiam apud posterioris temporis scriptores (cf. Plinium Maiorem et Iuniorem).

6. De adiectivis alios exitus habentibus.

In - ax exeuntia adiectiva maxima ex parte a verbis derivata sunt, velut audax, capax, ferax, rapax, tenax, nostrum efficax et alia. Illis adiectivis significantiores proprietates exprimebantur. Sunt praeterea nonnulla etiam a nominibus derivata, velut linguax (apud Gellium), mendax, merax. Quamquam per omne tempus similiter cadentia adiectiva formabantur, maior tamen pars illorum post Hadriani aetatem derivata est. Propter maiorem usum apud posterioris temporis scriptores et significantiorem vim in easdem litteras cadentia adiectiva magis vulgaris sermonis scriptoribus adamata esse videntur.

In - dus exitum habentia adiectiva maxima ex parte opti-

morum scriptorum sunt. Omnia illa adiectiva in partes duas sunt divisa. Nonnulla, velut flammidus, gelidus, herbidus, imbridus, a substantivis denominata sunt. Alia quidem, velut acidus, candidus, lucidus, sordidus iuxta se etiam verba acere, candere, frigere, lucere, sordere habent. Huc spectare etiam nostra adiectiva mundus, immundus videntur.

Modicus est illorum in - icus exeuntium adiectivorum, de quibus iam de adiectivis inde ab ecclesiasticorum tempore usurpatis disserens plura dixi.

In - nus exeunt praecipue illa derivativa adiectiva, quae aut universe relationem aut proprietatem ad materiam pertinentem exprimant. Praecipue magnus numerus illorum est aut a stirpe - ter, aut a - ro formatus, velut fraternus, maternus, paternus, externus, infernus, nostrum supernus et alia.

In - farius exitum habentia adiectiva posterioribus tantummodo temporibus in usum venerunt. Ambifarius apud Arnobium, bifarius apud Ammianum, omnifarius apud Caelium Aurelianum, plurifarius apud Sidonium, quadrifarius apud Hieronymum, multifarius apud Gellium, trifarius apud Apuleium, Solinum legitur. Adverbia tamen in - fariam exeuntia omnia fere tantummodo ab antiquissimis, nonnulla tantum a posterioris temporis scriptoribus adhibita sunt. Nostrum multifariam apud Catonem, bifariam, quadrifariam apud Varronem, septemfariam apud Santram legitur; ambifariam quidem inde ab Apuleio, plurifariam inde a Suetonio in usum venit.

E f f i c a x, - a c i s.

Hebr. 4. 12. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.

Adiectiva in - ax a bonis scriptoribus contemnenda erant. Apud Livium tamen et apud alios illius aetatis scriptores frequenter in usu erant. Illud vocabulum legitur inde a Ciceronis aetate: Cael. Cic. epist. 8. 10. 3. Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit. Post Ciceronis aetatem illa vox frequentissime in litteris Latinis legitur. Magno in usu fuit etiam in Inscriptionibus Latinis, apud ecclesiasticos, saepissime tamen invenitur apud compositionum scriptores, ubi de vi medicamentorum agitur (cf. Horatium, Plinium Maiorem, Celsum, Apuleium, Cyprianum, Tertullianum, Hilarium, Augustinum, Ennodium, Cassiodorum, Iordanem).

I m m u n d u s, - a, - u m.

2. Cor. 6. 17. et immundum ne tetigeritis.

Vocabulum quamquam iam inde a Plauto in usu fuit, apud optimos tamen scriptores non legitur, nisi apud Ciceronem bis: semel in epistolis et semel in fragmento apud Quintilianum. Ceteri bonae aetatis orationis solutae scriptores vocem non adhibuerunt. Fuit tamen illa in usu apud poetas: Vergilium, Horatium et apud posterioris temporis scriptores usque ad septimum saeculum (cf. Senecam philisophum, Plinium Maiorem, Novatianum, Palladium, Isidorum).

M u n d u s, - a, - u m.

Tit. 1. 15. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum. Jac. 1. 27. Religio munda, et immaculata apud Deum.

Illud vocabulum optimi Latini scriptores non adhibent, nisi Cicero uno in litteris ad philosophiam pertinentibus loco: id. fin. 2. 8. nemo nostrum istius generis asotos iucunde putat vivere: mundos, elegantis, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione... Alicubi tamen et Cicero est usus aliis verbis, quae idem valeant. Cicero saepe adhibet vocem purus, elegans, nitidus et alia cognominata vocabula. Saepius quam apud Ciceronem illud adiectivum legitur apud eiusdem temporis poetas: Ovidium, Horatium, qui aliquoties illo est usus. In litteris Latinis vocabulum legitur iam inde ab Ennio: id. Ann. 143. (apud Müllerium) Idem loca navibu' celsis Munda facit nautisque mari quaesentibu' vitam. Id. ibid. 579. tibi vita Seu mors in mundost. In aliquid maiore usu vocabulum fuit apud primi post Christum natum et quarti saeculi scriptores (cf. Livium, Senecam philosophum, Columellam, Hieronymum, Lampridium, Palladium, Phaedrum).

M o d i c u s, - a, - u m.

1. Tim. 4. 8. Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est. 1. Cor. 5. 6. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 2. ibid. 8. 15. Qui multum, non abundavit: et qui modicum, non minoravit. 2. ibid. 11. 16. ut et ego modicum quid glorier. Gal. 5. 9. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Etiam 1. Tim. 5. 23., Hebr. 10. 37. et alibi frequenter.

Modicus in Itala, Vulgata est parvus, exiguus. Illa significatione passim in Litteris Sacris legitur. Illud adiectivum etiam apud Ciceronem exstat. In orationibus tamen modicus est modum servans, moderatus. Cicero vocem raro usurpat. In orationibus illa ter est usus, „parvus" quidem frequentissime legitur. Illud adiectivum legitur etiam apud poetas Ovidium, Vergilium, qui illa inusitate voce usi sunt. Raro legitur etiam apud primi post Christum natum saeculi scriptores, tamen paulatim in maiorem venit usum, ut docet Loefstedt[1]), apud Tacitum. Non solum in litteris, sed etiam in sermone communi illa vox gradatim in maiorem usum venit, et „parvum" loco suo omnino movit. In maiore aliquid usu illud adiectivum primo post Christum natum saeculo fuit, in maximum autem usum venit tertio, quarto, quinto et sexto saeculo (cf. Columellam, Persium, Tacitum, Apuleium, Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, Cassiodorum et multos alios).

M u l t i f a r i a m.

Hebr. 1. 1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus.

Vocabulum legitur iam inde a Catone. Usus est illo etiam Livius, Plinius Maior, Suetonius, Gellius. Quamquam illud adverbium bis legitur apud Ciceronem, tamen vulgare mihi esse videtur, nam composita adiectiva et adverbia, quorum prior pars est adiectivum numerale, altera autem pars est -farius vel - farie, vel - fariam, vulgaria sunt. Ea res, quod Cicero illo vocabulo est usus, nihil dicit contra id, quod supra dixi, nam Cicero vocabulum tantummodo in rhetoricis et ad philosophiam pertinentibus litteris adhibet. Cic. de orat. 2. 174. ut enim si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem. Id. leg. 1. 40. Itaque poenas luunt non tam iudiciis quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt.

S u p e r n u s, - a, - u m.

Philipp. 1. 3. 14. persequor ad bravium supernae vocationis Dei.

Optimi Latini scriptores illo vocabulo non sunt usi. Legitur illud inde a poetis Ovidio et Horatio. E pedestris sermonis scrip-

---

1) Peregrinatio Aetheriae, p. 71.

toribus primus Vitruvius illam vocem adhibet: id. 10. 7. (12.) 3. ballistae in humiliora ex supernis valentes. Illo adiectivo est usus etiam Plinius Maior, Lucanus, Gellius, Ammianus Marcellinus, Alcimius Avitus. Alc. Avit. hom. 28. p. 150. 10. iucunditate habitaculi tam terrestria quam superna sollicitans.

7. De adiectivis compositis.

Hic agitur de illis adiectivis compositis, quae nondum in ceteris capitibus rettuli. Bilinguis, longaevus et unanimis e duobus nominibus composita adiectiva sunt. Pacificus et vaniloquus e nomine et verbo compositorum adiectivorum sunt.

In - loquus exeuntia adiectiva apud Plautum in magno usu fuerunt. Apud eum enim confidentiloquus, falsiloquus, inaniloquus, largiloquus, multiloquus, stultiloquus, nostrum vaniloquus et alia leguntur. Etiam apud ecclesiasticorum temporis scriptores illa adiectiva magno in usu fuerunt. Veriloquus apud Frontonem, Hieronymum, Cassiodorum, stultiloquus apud Hieronymum et alios, astriloquus, boniloquus apud Ps. Augustinum, breviloquus, caeliloquus, dulciloquus, maliloquus apud Ps. Hieronymum, sanctiloquus, suaviloquus, subtililoquus, ventriloquus, veriloquus, versiloquus apud Ennodium leguntur.

Plura de adiectivis compositis iam in prioribus capitibus dixi.

B i l i n g u i s, - e.

1. Tim. 3. 8. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos.

Optimi Latini scriptores illud adiectivum admodum non adhibent. Vox legitur iam inde ab Ennio: Paul. Fest. p. 35. Bilingues Bruttates Ennius dixit, quod Brutti et Osce et Graece loqui soliti sint. Deinde aliquoties legitur apud Plautum, Vergilium, Horatium et apud posterioris temporis scriptores, velut Curtium, Silium, Phaedrum, Tertullianum, Ausonium, Hieronymum, Salonium et alios. Plaut. Truc. 781. Ne duplicis habeatis linguas, ne ego bilinguis vos necem.

L o n g a e v u s, - a, - u m.

Ephes. 6. 3. Ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram.

Vox legitur apud poetas et ecclesiasticorum temporis scriptores. Verg. 3. Aen. 169. Surge age et haec laetus longaevo dic-

ta parenti Haud dubitanda refer. Vocabulo usus est etiam Ovidius, Statius, Martialis, Propertius, Cyprianus, Symmachus, Ammianus, Arnobius, Hieronymus, Alcimius Avitus. Alc. Avit. carm. 5. 455. Sic longaeva foret, quod non damnosa vetustas.

P a c i f i c u s, - a, - u m.

Jac. 3. 17. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta.

Quamquam nec Roensch, nec Goelzer neque Paucker et alii de hoc adiectivo mentionem fecerunt, mihi tamen illud vulgare esse videtur. Composita, cum verba, tum etiam adiectiva, quorum posterior compositionis pars - fico, - ficus est, plerumque vulgaria sunt. Praeterea illam vocem optimi scriptores admodum non adhibent, nisi Cicero uno epistolarum loco. Epistolarum tamen sermo multis vulgaribus proprietatibus abundat. Vox legitur etiam apud Lucanum, Martialem et ecclesiasticos scriptores: Claudianum, Ambrosium, Hieronymum.

U n a n i m i s, - e.

Philipp. 1. 27. quia statis in uno spiritu unanimes. Rom. 15. 6. Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum. Philipp. 2. 20. Neminem enim habeo tam unanimem.

Adiectivum unanimis (unianimis) habet etiam alteram forman unanimus, a, um. Vox legitur inde a Plauto: id. Stich. 5. 4. 49. ego tu sum, tu es ego, unianimi (unanimi) sumus. Optimi Latini scriptores hoc adiectivum admodum non adhibent. Bona aetate poetae modo, velut Catullus, Vergilius, illud vocabulum usurpant. Legitur illud etiam apud Valerium Flaccum, Livium uno, eoque dubio loco: id. 7. 21. quae distinere unanimos videbatur. Alii legunt „una animos“, etiam „in annos“. Praeterea vocabulo usi sunt etiam ecclesiasticorum temporis scriptores: Claudianus, Symmachus, Alcimius Avitus, Venantius Fortunatus. Alc. Avit. ep. 9. p. 44. 1. Unanimi ergo copiam redeuntibus date. Ven. Fort. carm. 1. 12. 14. unianimis (unanimes) tecum quae Placidina dedit.

V a n i l o q u u s, - a, - u m.

Tit. 1. 10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores.

Vox quamquam iam inde a Plauto legitur, apud bonae tamen aetatis scriptores non exstat. Plaut. Amph. 1. 1. 223. Ergo istoc magis, quia vaniloquus (vaniloquos), vapulabis. Usus est

illa voce etiam Livius, Silius et ecclesiasticorum temporis scriptores: Ambrosius, Ausonius, Orosius.

8. De participiis adiectivorum more adhibitis.

In apostolorum epistolis adhibita huc spectantia vulgaria adiectiva et adverbia magna ex parte ex in -, particula privativa, et participio perfecti passivi composita sunt. De insolito illorum usu iam de adiectivis compositis inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis disserens dixi. Sunt tamen adiectiva et adverbia, de quibus hic agitur, quae etiam aliter formata sint, velut adiectivum incontinens, quod ex in -, particula privativa, et participio praesentis activi formatum est, adverbium solicite autem derivatum est ab adiectivo solicitus, quod proprie participium perfecti passivi verbi solicito haberi potest.

Plura de adiectivorum more adhibitis participiis rettuli inde ab ecclesiasticorum tempore substantivorum more adhibita adiectiva et participia tractans.

D e s o l a t u s, - a, - u m.

1. Tim. 5. 5. Quae autem vere vidua est, et desolata speret in Deum. 1. Thess. 2. 17. Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horae.

Participium desolatus, adiectivorum more etiam adhibitum, et desolandi verbum legitur apud poetas, apud posterioris aetatis orationis solutae scriptores et in Inscriptionibus Latinis. Vox invenitur apud Vergilium, Statium, Silium, Plinium, Petronium, Tacitum, Apuleium et alios. Petron. sat. 124. non puer aut aevo iam desolata senectus.

D i l e c t u s, - a, - u m.

Rom. 1. 7. Omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis.

Dilectus proprie est participium verbi diligo, adiectivorum more etiam adhibitum. Dilectus est id quid amatus, carus.

Vocabulum in litteris Latinis rarum est. Legitur apud poetas, velut Ovidium, Vergilium, Statium, et nonnullos posterioris, praesertim ecclesiasticorum temporis scriptores. Etiam Cyprianus, quod notatu dignum est, illam vocem vulgarem esse sentit, nam Christianorum conventum adloquens, dicit „fratres dilectissimi“, quibus vocibus in suis litteris „De bono patientiae“ tantum et „De dominica oratione“ 12-ies est usus, presbyteris ta-

men et diaconis orationem accomodans, saepius „fratres carissimi" adhibet. Usus est illa voce etiam Suetonius, deinde Augustinus, Macrobius, Claudianus.

I l l i c i t u s, - a, - u m.

1. Petr. 4. 3. qui ambulaverunt in luxuriis... et illicitis idolorum cultibus.

Illud adiectivum apud bonae aetatis scriptores non legitur. Nonnulli hanc vocem etiam Ciceroni tribuunt, cum Ciceronis illud Cluent. 47. hoc modo legunt: multitudinem illicitum est contra dicere. Alii tamen illum locum rectius legunt: multitudini; nemini licitum est (Antibarbarus, v. 2. p. 680.). Vox legitur inde a Seneca philosopho: id. epist. 108. 14. puram mentem non tantum ab inlicitis voluptatibus, sed etiam supervacuis. Vocabulo usi sunt multi eiusdem fere et aliquid posterioris temporis scriptores: Valerius Flaccus, Tacitus, Lucanus, Statius, Persius. Vox invenitur etiam apud ecclesiasticorum temporis scriptores, velut apud Apuleium, Macrobium, Augustinum.

I n c o m p o s i t u s, - a, - u m.

Rom. 1. 31. Insipientes, incompositos, sine affectione.

Vocabulum in litteris Latinis legitur inde a bonae aetatis poetis: Vergilio, Horatio; apud orationis solutae scriptores in usu fuit inde a Livio: id. 5. 28. 7. Ibi eum, incomposito agmine neglegentius ab re bene gesta euntem, adorti Aequi, terrore iniecto, in proximos compulere tumulos. Illud adiectivum in magno usu fuit apud primi post Christum natum saeculi scriptores (cf. Curtium, Plinium Iuniorem, Quintilianum, Tacitum, Valerium Maximum) et apud ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad septimum saeculum (cf. Ambrosium, Martianum Capellam, Cassiodorum, Boethium). Boeth. arithm. 14. Et primus quidem et incompositus est, qui nullam aliam partem habet nisi eam, quae a tota numeri quantitate denominata sit, ut ipsa pars non sit nisi unitas, ut sunt III. V. VII. XIII...

I n c o n t a m i n a t u s, - a, - u m.

1. Petr. 1. 4. In hereditatem incorruptibilem et incontaminatam. 1. ibid. 1. 19. Sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi et incontaminati.

Optimi Latini scriptores illo vocabulo omnino non sunt usi. Vox legitur tamen iam inde a Varrone: id. 3. rust. 9. 17. Gallinae rusticae... aspectu ac facie incontaminatae. Vocabulo usus est etiam Livius et scriptores ecclesiastici: Augustinus, Alcimius

Avitus. Alc. Avit. hom. 1. p. 105. 2. omnibus se incontaminatam reservat hereditas.

I n c o n t i n e n s, - e n t i s.

2. Tim. 3. 3. Erunt homines... criminatores, incontinentes, immites...

Vox legitur inde a Plauto: id. Asin. 5. 2. 9. At nunc dehinc scito illum... Madidum, nihili, incontinentem. Vocabulum usurpavit etiam Horatius, Plinius Maior, Seneca philosophus et ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Gellium, Hieronymum, Ambrosium).

I n q u i e t u s, - a, - u m.

Jac. 3. 8. Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero.

Vocabulum in litteris Latinis inde ab Horatio legitur. Orationis solutae vero scriptores vocem adhibent inde a Livio. Primo post Christum natum saeculo vocabulum in magno fuit usu (cf. Senecam philosophum, Valerium Maximum, Senecam rhetorem, Plinium Maiorem, Tacitum). Adhibuerunt illud etiam ecclesiasticorum temporis scriptores, velut Ammianus, Orosius.

I n o r d i n a t e.

Thess. 2. 3. 6. ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.

Illud rarum adverbium legitur apud Celsum, Ps. Cyprianum, Porphyrium. Cels. 33. non easdem (febres) inordinate redire. Apud Ammianum Marcellinum exstat ordinatim, eiusdem originis et significationis adverbium. Etiam adiectivum inordinatus ab optimis Latinis scriptoribus vitatum est, nam Caesar illud omnino non adhibet, Cicero autem tantum semel illo est usus: id. Tim. 9. idque ex inordinato in ordinem adduxit.

S o l i c i t e.

2. Tim. 1. 17. Solicite me quaesivit, et invenit. 2. ibid. 2. 17. Solicite cura teipsum probabilem exhibere.

Illud adverbium legitur apud Ovidium et apud posterioris temporis scriptores (cf. Senecam philosophum, Plinium Iuniorem, Suetonium, Gellium, Apuleium, Ulpianum).

c) De adiectivis apud ecclesiasticos alia vi atque apud optimos scriptores adhibitis.

Animalis est earum ab ecclesiasticis alia vi adhibitarum vocum, quae propria significatione ecclesiasticorum tempore

etiam ab ipsis ecclesiasticis scriptoribus, velut a Tertulliano, usurpari non desierint. Adiectiva gentilis et incredibilis gradatim mutanda significatione ecclesiasticam vim acceperunt. Plura de vocibus ecclesiastica significatione adhibitis de substantivis disserens dixi.

A n i m a l i s, - e.

Jac. 3. 15. Non est enim sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica. 1. Cor. 2. 14. Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. 1. ibid. 15. 44. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. 1. ibid. 15. 46. Sed non prius, quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale. Iud. 19. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.

Goelzer in suo libro de Hieronymo in p. 144. et Paucker item in Libro de Hieronymo in p. 49. adiectivum animalis apud ecclesiasticos eandem vim habere atque Graecum ψυχικὸς referunt. Tamen et ψυχικὸς variis significationibus usurpatur eandem quoque vim habet atque apud Ciceronem in litteris ad philosophiam pertinentibus. Ψυχικὸς enim opponitur φυσικὸς et est id quod animatus, spirabilis. Ψυχικὸς est etiam id quid ἐπιγείος ,et opponitur spiritali. Posteriore tantum significatione usus est Ciceroni insolitus, quo nonnulli scriptores ecclesiastici illam vocem adhibuerunt, et quo laudati Vulgatae loci spectant (cf. Tertullianum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Fulgentium Ruspensem). Thesaurus Linguae Latinae cum illud adiectivum a nomine substantivo anima derivatum esse refert, Totius Latinitatis Lexicum vero a voce animal, mihi quidem priore significatione magis decere illud adiectivum ab animalis, posteriore vero ab animal substantivo formari videtur.

F i d e l i s, - e.

1. Tim. 4. 3. quos Deus creavit ad parcipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis, qui cognoverunt veritatem. 1. Cor. 4. 17. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, et fidelis in Domino. 2. ibid. 6. 15. Aut quae pars fideli cum infideli? Gal. 3. 9. Igitur, qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Etiam alicubi.

Illud substantivorum more saepe adhibitum adiectivum apud multos, etiam optimos scriptores magno in usu fuit. Apud Christianos tamen scriptores vox spectat ad fidem Christianam.

Fidelis enim est i. q. credulus, πιστός . Christiana significatione plurimi scriptores ecclesiastici illam vocem usurpaverunt inde a Tertulliano (cf. Cyprianum, Hilarium, Augustinum, Alcimium Avitum, Cassiodorum). Alc. Avit. epist. 22. 35. evidentius hoc tamen Christianis fidelibus coaptatur.

Gentilis, - e.

Gal. 2. 3. Sed neque Titus... cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi.

Gentilis apud optimos scriptores est ex eodem genere ortus. Cic. 2. Verr. 190. responde mihi nunc tu, Verres, quem esse hunc tuum paene gentilem Verrucium putes. Sequiore aetate gentilis est popularis, eiusdem regionis homo. Stat. 9. Theb. 297. trahit unda timentes Gurgite gentili. Silius 4. 223. Indutosque simul gentilia lina Faliscos. Serius gentiles a Romanis dicti sunt barbari, et quicumque non lege civili Romanorum, sed in culto iure gentium vivebant. Hac significatione vocabulum legitur apud Ausonium: id Gratiar. act. 8. Vocarem Germanicum, deditione gentilium: Alemanicum, traductione captorum. Ammian. 14. 7. 9. Cum Scutariis et Gentilibus.

Apud scriptores ecclesiasticos gentiles sunt homines alia religione. A Iudaeis gentiles vocantur, quicumque Iudaei non sunt. In Litteris Sacris gentes vocantur, quae veram Dei colendi rationem, olim apud Iudaeos, nunc apud Christianos conservatam, aut ingorant, aut contemnunt. Min. Fel. 6. 1. per universa imperia, provincias, oppida videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere. Alc. Avit. carm. 4. 495. Hinc gentilis agit tumidos sine more furores, Hinc Iudaea fremit. Id. ibid. 5. 235. quem nomine belli Gentiles vocitant. Cf. etiam Cyprianum, Hieronymum, Cassiodorum, Gregorium Turonensem.

Incredibilis, - e.

Tit. 1. 16. cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

Incredibilis proprie est qui credi non potest, fidem superans. Hac significatione illud adiectivum etiam apud optimos scriptores legitur: Caes. Gall. 1. 39. 1. qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse praedicabant, et alicubi saepe. Cic. Phil. 7. 3. etsi erit vel acerbum auditu, vel incredibile a M. Cicerone esse dictum. Non solum Caesar, sed etiam Cicero, apud quem saepissime illud vocabulum legitur, non est usus de personis. Quamquam

eadem significatione atque apud optimos scriptores, tamen iam de personis cum agitur vocem adhibuit Plautus: id. Bacch. 4. 3. 3. Incredibilis imposque animi, inamabilis inlepidus vivo. Apud Apuleium et in Litteris Sacris illa vox adhibetur, cum de personis, ut apud Plautum, agitur, tamen activa significatione. Incredibilis enim est qui non credit.

I n f i d e l i s, - e.

Rom. 15. 31. Ut liberet ab infidelibus, qui sunt in Iudaea. 2. Cor. 4. 4. In quibus Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium. 1. Tim. 5. 8. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Etiam Tit. 1. 15. et alicubi.

Infidelis est adiectivum, substantivorum more saepe adhibitum. Apud scriptores ecclesiasticos infidelis est qui Christianam fidem non recipit, aut receptam deserit, aut minime profitetur. Legitur apud Cyprianum, Salvianum, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum et alios. Alc. Avit. hom. 20. p. 134. 24. fidelis ut permaneat, ne remaneat infidelis.

S o l i c i t u s, - a, - u m (et sollicitus).

1. Cor. 7. 32. Qui sine uxore est, solicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. 2. ibid. 8. 17. sed cum solicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Coloss. 4. 12. semper solicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti. Philipp. 2. 20. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus est.

Solicitus proprie est commotus, agitatus, saepius vero est curis affectus, anxius, perturbatus. Propria vi vocabulum adhibet Cicero, etiam in orationibus. Apud scriptores ecclesiasticos quidem solicitus est diligens, sed sine anxietate (cf. Cyprianum, Ambrosium).

d) De adiectivis Graecis.

Plurima in apostolorum epistolis adhibita adiectiva, velut azymus, blasphemus, neophytus, propheticus, tantummodo inde ab ecclesiasticis scriptoribus in litteras Latinas recepta sunt. Tantum adiectiva dyscolus et coccineus ante ecclesiasticorum tempus leguntur. Plura de Garecis vocibus iam ante dixi.

Azymus, - a, - um.

1. Cor. 5. 8. Itaque epulemur non in fermento veteri... sed in azymis sinceritatis, et veritatis.

Azymus est adiectivum formatum a Graeco ἄζυμος. Vox legitur apud scriptores ecclesiasticos et medicos usque ad sexti saeculi exitum. Illud vocabulum exstat apud Scribonium Largum, Celsum, Cyprianum, Tertullianum, Hieronymum, Leonem Magnum, Sidonium, Oribasium, Isidorum et multos alios.

Vox transiit in novicias linguas. Azymus enim Italice azimo, lingua Provinciali vetere aime dicitur.

Blasphemus, - a, - um.

1. Tim. 1. 13. Qui prius blasphemus fuit, et persecutor, et contumeliosus. 2. ibid. 3. 2. Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi.

Illud adiectivum ortum e Graeco βλάσφημος. Legitur apud scriptores ecclesiasticos passim (cf. Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, Salvianum, Orosium, Alcimium Avitum et multos alios).

Vox in linguas novicias e lingua Latina ortas transiit. Veteriore Galliae lingua blastange, lingua Provinciali blastemi, quod fictum est ex blastémiu (βλασφήμειον), dicitur.

Coccineus, - a, - um.

Hebr. 9. 19. cum aqua, et lana coccinea, et hysopo.

Coccineus est cocci colorem habens. Adiectivum fictum a Graeco vocabulo κόκκος , i. q. coccus. Vox exstat apud Plinium, Petronium, Martialem. Petron. sat. 32. Pallio enim coccineo adrasum excluserat caput. Praeterea vocabulum legitur etiam apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde ab Itala usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Martianum Capellam, Augustinum, Fulgentium Ruspensem, Isidorum). Isid. orig. 19. 22. 10. Russata (tunica), quam Graeci phoeniceam vocant, nos coccineam. Alii etiam coccinam legunt.

Dyscolus, - a, - um.

1. Petr. 2. 18. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, et modestis, sed etiam dyscolis.

Vocabulum in litteris Latinis rarum, nam lexica non referunt, nisi laudatum locum et Notas Tironianas, in novicias ta-

men e linque Latina ortas linguas transiit. Italice enim dyscolus dicitur discolo.

N e o p h y t u s, - a, - u m.

1. Tim. 3. 6. Oportet... episcopum... esse... non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli.

Neophytus est Graeca vox νεόφυτος, h. e. nuper plantatus. Vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticos translata vi, cum agitur de iis, qui recentes ad Christianam religionem accesserunt. Illud adiectivum invenitur apud Tertullianum, Luciferum, Hieronymum. Legitur etiam in Inscriptionibus Latinis.

P r o p h e t i c u s, - a, - u m.

2. Petr. 1. 19. Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes.

Propheticus est adiectivum a propheta denominatum. Legitur apud scriptores ecclesiasticos, velut apud Tertullianum, Lactantium, Prudentium, Augustinum.

C. DE VERBIS.

a) De verbis inde ab ecclesiasticorum tempore adhibitis.

1 . De verbis a substantivis derivatis.

Omnia cum a substantivis, tum ab adiectivis, cum ecclesiasticorum, tum etiam superioribus temporibus derivata verba vulgaria in apostolorum epistolis tantummodo in - are exeuntia inveni. Etiam Goelzer[1]) apud Hieronymum tantummodo tria aliter exeuntia verba invenit: febrire, follere, unire. Non solum tamen Hieronymus et Litterae Sacrae multo abundantiores illis quam ceteris verbis sunt, sed etiam omnino aetas posterior illa praeferebat. Inter 1777 verba denominativa, sine frequentativis, una tamen cum conformationibus participialibus, a Pauckerio collecta[2]), apud scriptores antiquissimos 130, apud Ciceronem et Caesarem 401, inter Ciceronis et Hadriani aetetem 519, post Hadriani aetatem 727 leguntur. Alios quidem exitus habentia verba maxima ex parte superioribus temporibus derivabantur. Plurima in - ere exeuntium verborum antiquissimis temporibus, multo minor pars bona aetate, pauca post Hadriani tempus derivata sunt. Etiam in - io exeuntium pauca post Hadriani tempus derivata sunt, plurima autem antiquissimis temporibus et bona aetate in usum venerunt. In - uere exitum habentia verba in lingua Latina omnino rara sunt et maxima ex parte ex antiquissimis temporibus oriuntur. In - are exeuntia verba posterioribus temporibus prae caeteris adamabantur, nam gravius cadunt et significantiorem vim habent. Propterea minime saepe ab illis verbis frequentativa vel intensiva derivabantur, nam similiter cadentibus verbis iam per se significantior vis subiecta est. Non solum in lingua Latina in - are exeuntia verba adamata

---

1 De S. Hieronymi Latinitate, p. 173.

2) Stolz, p. 590.

sunt, sed etiam in lingua Francogallica, ubi omnia nova verba primae coniugationis sunt.

Ab exeuntibus in - do vel - go femininis substantivis derivata verba antiquioribus temporibus non leguntur. Imaginari, libidinari in conspectum non venerunt, nisi post Augusti aetatem. Nostrum aeruginare, auriginare, ferruginans inde a Tertulliano, robiginare, discapedinare inde ab Apuleio, intercapedinare inde a Martiano Capella leguntur.

Fornicor a substantivio fornix, hereditare ab heres, triturare a tritura derivatum est. Tritura etiam frequentativorum species verbi tero aestimari potest. Disciplinatus, exfornicatus sunt participia, quorum prius est verbi disciplinor, a disciplinae substantivo derivatum, alterum quidem, ut Totius Latinitatis Lexicum refert, ab inusitato verbo exfornicor derivatum est. Nonnulli tamen viri docti (Stolz, p. 590., 532.) non omnia in - atus exeuntia participia a verbis finitis derivanda esse putant. Arenatus inde a Catone, ansatus inde ab Ennio, columnatus inde a Plauto, litteratus, ostreatus, dentatus similiter inde a Plauto et multa alia participii rationem habentia a substantivis derivata sunt. Propterea et nostrum participium exfornicatus non ab solo inusitato exfornicandi verbo derivari potest, eo magis, quod etiam multa alia denominativa in - tus exeuntia participiorum ratione adhibita vocabula, velut concorporificatus (Tert.), exaluminatus (Plin.), decervicatus (Sid.), defamatus (Gell.) et alia tantummodo composita forma leguntur.

A e r u g i n o, - a v i, - a t u m, 1.

Jac. 5. 3. Aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eorum in testimonium vobis erit.

Praeter Italam et Vulgatam illud verbum legitur etiam apud Venantium Fortunatum: id. carm. 5. 6. praef. 1. cum nulla canerem, obsoleto linguae plectro aeruginavissem.

D i s c i p l i n a t u s, - a, - u m.

Jac. 3. 13. Quis sapiens et disciplinatus inter vos?

Vox legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Augustinum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. carm. 4. 46. Disciplinatos dissuescit promere fructus.

E x f o r n i c a t u s, - a, - u m.

Iud. 7. et finitimae civitates simili modo exfornicatae.

Exfornicatus est participium perfecti passivi ab inusitato

verbo exfornicor (respice tamen, quae supra dixi). Vocabulum in litteris Latinis rarissimum.

F o r n i c o r, - a t u s s u m, 1. (et fornico, 1.).

1. Cor. 6. 18. qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 1. ibid. 10. 8. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt.

Illud vocabulum legitur inde ab Itala et Tertulliano apud scriptores ecclesiasticorum temporis usque ad septimum saeculum (cf. Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, Isidorum). Alc. Avit. epist. 55. p. 84. 6. Primo fornicandi lapsu peccavit, qui feminam coniugio carentem libidine inflammatus appetiit.

H e r e d i t o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 6. 12. qui fide et patientia haereditabunt promissiones. Ibid. 1. 4. nomen haereditavit. ibid. 12. 17. et postea cupiens haereditare benedictionem.

Vocabulum ante ecclesiasticorum tempus in usu non fuit. Primum legitur in Itala, deinde in Vulgata et hinc apud scriptores ecclesiasticos (cf. Arnobium, Hieronymum, Salvianum, Augustinum).

T r i t u r o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Tim. 5. 18. et 1. Cor. 9. 9. Non alligabis os bovi trituranti. 1. Cor. 9. 10. Quoniam debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi.

Vox legitur apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf. Ambrosium, Hieronymum, Sidonium, Augustinum, Isidorum). Isid. 15. orig. 13. 16. Alii aream vocatam dicunt, quod pro triturandis frugibus eradatur.

2. De verbis ab adiectivis derivatis.

Angustio, captivo, salvo a secundae, humilio, similior, tristor a tertiae declinationis adiectivis denominata verba sunt. E verbis a tertiae declinationis adiectivis derivatis humilio ante exitum - are i litteram retinuit, similor quidem et tristor illam eiecit. A gradu superlativo adiectivorum derivata verba apud optimos scriptores non leguntur. Illa verba derivata sunt tantummodo ab iis adiectivis, quorum gradus superlativus contra regulam formatus est et propterea cum forma, tum etiam signi-

ficatione a gradu positivo parum differt. Primum inter desuperlativis in litteris Latinis est adhibitum consummandi verbum, quod ante Augusti aetatem non legitur. Livius aut illud verbum formavisse, aut annis ante Christum natum circiter viginti in litteras Latinas recepisse videtur: Liv. 28. 17. 3. Iam Africam magnamque Karthaginem, et in suum decus nomenque velut consummatam (alii etiam aliter legunt: consummandi, consummaturam) eius belli gloriam spectabant. Etiam ipse auctor hoc loco vocabulum inusitatum esse sentit, nam ante illud vocem „velut" ponit. Illud verbum aliquid post etiam semel, sed iam sine „velut" adhibuit: id. 29. 23. 4. Ad eam rem consummandam tempusque nuptiis statuendum. Illo verbo etiam Ovidius est usus, in maiorem tamen usum illud inde a primo post Christum natum saeculo venit (cf. Velleium, Valerium Maximum, Senecam philosophum, Plinium Maiorem, Quintilianum et alios). Cetera verba desuperlativa tantum inde a primi post Christum natum saeculi secunda parte, praesertim inde ab Apuleio et Itala in conspectum veniunt. Imprimis derivata sunt verba intimo, infimo et nostrum proximo. Praeter haec verba etiam pessimare, postumare, ultimare, extimare, summare, extremare, minimare, maximare apud ecclesiasticorum temporis scriptores in usu fuerunt.

Etiam a gradu comparativo derivata verba plurima denominata sunt ab iis adiectivis, quorum gradus comparativus anomalus est. Deteriorare ab anomalo comparativo deterior, meliorare a melior, peiorare a peior, nostrum minorare a minor, certiorare tamen formatum est a gradu comparativo ad regulam formato.

Angustio, - avi, - atum, 1.

2. Cor. 6. 12. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris. Hebr. 11. 37. circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti. 2. Cor. 4. 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.

Vocabulum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala usque ad sexti saeculi exitum (cf. Maximum Taurinum, Fulgentium Ruspensem, Oribasium). Illud vocabulum etiam in linguas e lingua Latina ortas transiit. Angustiare enim Italice angosciare, vetere Galliae lingua angoissier, Hispanice congojar dicitur.

C a p t i v o, - a v i, - a t u m , 1.

Rom. 7. 23. Video... aliam legem... captivantem me in lege peccati.

Captivare est verbum a Christianis fictum ad reddendum Graecum αἰχμαλωτίζειν vel αἰχμαλωτεύειν. Illud verbum legitur in Itala, Vulgata et apud Christianos scriptores usque ad septimum saeculum. Vocabulum in usu fuit apud Salvianum, Augustinum, Gregorium Turonensem, Venantium Fortunatum et multos alios scriptores. Praeter scriptores ecclesiasticos vox tantummodo in Itinerariis Alexandri legitur.

H u m i l i o, - a v i, - a t u m, 1. (etiam humilo, 1.).

2. Cor. 12. 21. Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos. Philipp. 2. 8. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Ibid. 4. 12. Scio et humiliari, scio et abundare.

Illud verbum in litteris Latinis legitur inde ab Itala usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Hieronymum, Ambrosium, Rufinum, Augustinum, Corippum poetam, Gregorium Turonensem). Coripp. Johann. 7. (6.) 494. humilesque tua virtute superbos. Doleo Roenschium tantum de omittenda i littera mentionem fecisse (Itala et Vulgata, p. 467.).

M i n o r o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 2. 9. qui modico, quam Angeli minoratus est. 2. Cor. 8. 15. Qui multum, non abundavit: et qui modicum, non minoravit.

Minorandi verbum legitur apud iurisconsultos et scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum. Vocem adhibet Irenaeus, Ambrosius, Augustinus, Cassiodorus et alii.

P r o x i m o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 7. 19. introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.

Vocabulum imprimis legitur frequenter apud Apuleium. Nonnulli etiam Ciceroni tribuebant: Cic. 2. nat. d. 44. Capiti autem Equi proximat Aquarii dextra totusque deinceps Aquarius. Alii tamen rectius legunt: Capiti autem Equi proxima est Aquarii dextra totusque deinceps Aquarius. Vox in litteris Latinis in usu fuit usque ad sexti saeculi exitum, saepissime tamen illam tertii saeculi scriptores, velut Solinus et Censorinus, adhibuerunt (cf. Cyprianum, Ambrosium, Sulpicium Severum,

Cassiodorum). In Itala proximandi verbum, quod notatu dignum est, saepius adhibetur, quam in Vulgata.

Salvo, - avi, - atum, 1.

Jac. 2. 14. Numquid poterit fides salvare eum? Jud. 5. quoniam Iesus populum de terra Aegypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit. Jac. 2. 14. Numquid poterit fides salvare eum? Ibid. 5. 16. et orate pro invicem, ut salvemini. Ephes. 2. 8., ibid. 2. 5. et alicubi frequentissime.

Verbum sequiore tantum aetate usurpari coeptum est. Quidam afferunt locum ex Cic. Pis. 31. sub fin. Me posse rempublicam iterum salvare, si cessissem. Hunc tamen locum Faern. in manuscriptis suis ita legit: sed et ipse et alii fere omnes critici damnant, et servare reponunt ex melioribus libris. Nonnulli etiam laudant locum ex Plinio: id. 17. 22. (35.). Sequente anno palmites salventur, pro viribus matris singuli aut gemini. Harduinus vero ita emendavit, cum salutentur invenisset, et submittantur ab aliis reponeretur. Janus autem protulit: sequenti anno palmites alitentur. Ab aliis etiam serventur, attollentur, educentur legitur. Vocabulum igitur tantummodo apud ecclesiasticorum temporis scriptores in usu fuit (cf. Lactantium, Hieronymum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. carm. 5. 247. Sic nos, Christe, tuum salvet super omnia signum.

Similor, - 1.

Hebr. 2. 17. Unde debuit per omnia fratribus similari.

Illud verbum in litteris Latinis rarissimum est. Deponentium more adhibitum nisi in Vulgata et apud Maximum Taurinum lexica non referunt.

Tristor, - 1.

Jac. 5. 13. Tristatur aliquis vestrum; oret.

Illud rarum vocabulum nullo certo loco ante ecclesiasticorum tempus legitur. Nonnulli illud verbum etiam Senecae phil. tribuebant: id. 2. ira 7. si irasci sapiens turpiter factis debet et concitari tristarique ob scelera. Id. 2. Prov. 5. Numquam tristari, numquam flere. Nunc tamen pro „tristari" legitur „contristari". Tristandi verbum legitur apud Iulium Valerium et in translationibus Origenis operum.

3. De verbis compositis.

Posterioribus temporibus in simplicium locum multa verba composita venerunt, nam simplicia non satis fortia videbantur. Ea re magnus numerus compositorum verborum non solum in apostolorum epistolis, sed etiam omnino apud posterioris temporis scriptores explicari potest.

Imprimis nobis disserendum est de verbis compositis, quorum prior compositionis pars aut praepositio, aut duae praepositiones sunt. Inter composita, quorum prior pars praepositio est, sunt, quae aut unam, aut duas praepositiones habeant, in lingua Graeca quidem etiam tribus praepositionibus verba leguntur, velut παρεκπροφεύγειν. Verbis compositis, quorum prior compositionis pars praepositio erat, posteriore tempore etiam altera praepositio facile adiungi potuit, nam procedente tempore illa iam non composita, sed simplicia sentiri coeperunt. Iam bona aetate nonnulla composita verba simplicia aestimabantur. Relinquere, perire, promere, surgere iam bonae aetatis Romanis simplicia fuerunt, propterea etiam altera praepositio illis facile addidi potuit. Bona aetate derelinquere, deperire, desurgere, depromere et nonnulla alia decomposita verba leguntur. Similiter et conresuscitare, repropitiare, superextendere, superimpendere formari potuerunt apud illos scriptores, qui resuscitare, propitiare, extendere, impendere simplicia senserint.

Nonnulli viri docti post Hadriani tempus compositorum, quorum prior compositionis pars praepositio est, numerum minorem ac denominativorum verborum fuisse confirmant. Maxime accrevit, plus dimidium enim, numerus e praepositione super, subter, contra, supra compositorum. Deinde composita e praepositionibus prae, sub, praeter, con, trans, circum, re - sequuntur. Minimus numerus, una enim e sex partibus compositorum e dis -, ex, pro, etiam magis exiguus est numerus compositorum cum ante et se -. Nulla composita cum amb - formata sunt. Numerus tamen e duabus praepositionibus compositorum mirum in modum posterioribus temporibus auctus est.

Nunc ad verba composita e nomine et verbo progrediamur. Maxima pars e nomine et verbo compositorum, quae in apostolorum epistolis inde ab ecclesiasticorum tempore legantur vulgarium verborum, in altera compositionis parte - ficare habet. Beneplacere tantum et valefacere aliter facta verba sunt. Bene-

placere enim ex adverbio bene et verbo placeo, valefacio autem ex imperativo verbi valeo et e verbo facio coniunctum est. Verba composita, quorum prior pars adverbium, altera autem verbum facio est, rara sunt. E verbo quidem et facio coniuncta verba plura sunt, velut expergefacio, tepefacio, colliquefio, praesertim autem ante Antoninorum aetatis exitum in usum venerunt. Serius illorum verborum numerus minui coepit.

Fere omnia in - ficare exeuntia verba derivativa haberi possunt, nam illis sunt in - ficus cadentia adiectiva, ad derivandum idonea, velut castificus, a quo castificare, magnificus, a quo magnificare derivari potest. In - ficare exitum habentium verborum numerus posterioribus temporibus magis magisque augebatur.

A l l e v i o, - a v i, - a t u m, 1.

Jac. 5. 15. Et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus.

Verbum admodum suspectum, cum medio aevo verbo allevare provinciam occupaverit atque propterea in codicibus cum allevare et elevare confundatur. Editum est tantummodo in Itala, apud Hieronymum et in Vulgata; transiit tamen in linguas novicias e lingua Latina ortas. Alleviare enim vetere Francogalliae lingua alegier dicitur.

Roensch[1]) mentionem fecit de introductione, ut ita dicam, vocalis i in allevandi verbum. Illud verbum tamen vulgare et e sermone castrensi sumptum esse videtur[2]).

B e n e p l a c e o, - u i, - i t u m, 2.

1. Cor. 10. 5. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Ephes. 5. 10. Probantes, quid sit beneplacitum Deo.

Beneplacere est inde ab Itala adhibitum verbum, quo Graecum εὐδοκεῖν , sive εὐδοκία cum verbo aliquo transfertur. A Christianis ex Itala sumptum illud verbum in magno usu fuit usque ad septimum saeculum; ab aliis scriptoribus semel adhibitum in Novellarum Iustiniani Latina translatione. Legitur apud Irenaeum, Cassianum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium Turonensem et multos alios.

C a s t i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Petr. 1. 22. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.

---

1) Itala et Vulgata, p, 466.

2) W. Heraeus. Arch. XII., p. 269.

Castificandi verbum legitur inde ab Itala et Tertulliano apud scriptores ecclesiasticos (cf. Augustinum, Maximum Taurinum, Fulgentium Ruspensem et alios).

C l a r i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

Gal. 1. 24. Et in me clarificabant Deum. 2. Thess. 1. 12. Ut clarificetur nomen Domini nostri. 2. ibid. 3. 1. ut sermo Dei currat, et clarificetur.

Vox legitur inde ab Itala usque ad septimum saeculum. Praeter singulos locos Marcelli medici et Oribasii non fuit in usu, nisi apud scriptores ecclesiasticos. Illo vocabulo est usus Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Leo Magnus, Cassiodorus, Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus et multi alii.

C o h a b i t o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Petr. 3. 7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam.

Vocabulum legitur apud Ps. Varronem et scriptores ecclesiasticos inde ab Itala usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, Cassiodorum).

C o m p a t i o r, - p a s s u s s u m, - p a t i.

Hebr. 4. 15. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Ibid. 10. 34. Nam et vinctis compassi estis. Rom. 8. 17. si tamen compatimur, ut et conglorificemur. 1. Cor. 12. 26. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.

Illud verbum legitur apud Ps. Quintilianum et inde ab Itala et Tertulliano frequenter usque ad sexti saeculi exitum. Vocem adhibet Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Alcimius Avitus, Gregorius Magnus et multi alii. Alc. Avit. carm. lib. 3. 423. Ceu tibi conpasso miserans succurre latroni.

C o m p l a n t o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 6. 5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius.

Vocabulum in usu fuit apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde ab Itala usque ad sexti saeculi exitum. Illlo verbo usus est Tertullianus, Ambrosius, Rufinus, Augustinus, Cassiodorus et alii.

C o n f o r t o, - a v i, - a t u m, 1.

Ephes. 6. 10. De caetero, fratres, confortamini in Domino. 2. Tim. 4. 17. Dominus autem mihi astitit, et confortavit me. Rom.

4. 20. sed confortatus est fide. Etiam 1. Cor. 16. 13., Philipp. 4. 13. et alicubi.

Confortandi verbum legitur inde ab Itala apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos, usque ad septimum saeculum (cf. Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, Gregorium Turonensem). Vox exstat etiam apud medicos et in Inscriptionibus Latinis. Verbum transiit etiam in linguas novicias. Italice enim confortare nunc confortare, Francogallice conforter, Hispanice conhortar dicitur.

Congaudeo, - gavisus sum, 2.

1. Cor. 13. 7. Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. 1. ibid. 12. 26. congaudent omnia membra.

Congaudere est fictum ex praepositione con - et verbo gaudere ad transferendum Graecum συγχαίρειν. Legitur apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde ab Itala usque ad septimum saeculum. Vocem adhibet Hieronymus, Cassianus, Augustinus, Cassiodorus, Venantius Fortunatus, Gregorius Magnus, Gregorius Turonensis et alii. Congaudere Francogallice conjouir dicitur.

Conglorifico, - avi, - atum, 1.

Rom. 8. 17. si tamen compatimur, ut et conglorificemur.

Conglorificandi verbum legitur inde ab Itala apud scriptores ecclesiasticos, velut apud Tertullianum, Ambrosium, Hieronymum, Marium Mercatorem et nonnullos alios.

Cooperor, - atus sum, 1.

Rom. 8. 28. diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 1. Cor. 16. 16. Ut et vos subditi sitis eiusmodi, et omni cooperanti, et laboranti. Jac. 2. 22. quoniam fides cooperabatur operibus illius.

Cooperari est una operari. Vox legitur inde ab Itala usque ad sexti saeculi exitum. In usu fuit apud Cassianum, Paulinum Nolanum, Capreolum, Rufinum, Cassiodorum et alios. Vocabulum adhibitum est etiam in Iscriptionibus Christianis.

Conregno, - avi, - atum, 1.

2. Tim. 2. 12. Si sustinebimus, et conregnabimus. Verbum legitur inde ab Itala usque ad sexti saeculi exitum. Invenitur illud etiam apud Hilarium, Polycarpum, Tertullianum, Hilarium, Augustinum, Sulpicium Severum, Cassiodorum.

C o n r e s u s c i t o, - a v i, - a t u m, 1.

Ephes. 2. 6. Et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus.

Conresuscitare est ecclesiasticorum vocabulum, quod inde ab Itala legitur (cf. Tertullianum, Hieronymum, Leonem Magnum, Maximum Taurinum).

C o n s e p e l i o,- u l t u s s u m, 4.

Rom. 6. 4. Consepulti enim sumus illo per baptismum in mortem. Col. 2. 12. Consepulti ei in baptismo.

Vox legitur inde ab Itala apud scriptores Christianos usque ad septimum saeculum. Illa est usus Tertullianus, Hieronymus, Ambrosius, Paulinus Nolanus, Leo Magnus, Gregorius Turonensis, Isidorus et multi alii posterioris temporis scriptores.

C o n v i v i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

Ephes. 2. 5. Et cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo. Col. 2. 13. convivificabit cum illo.

Praeter Italam et Vulgatam vocabulum legitur etiam apud Ambrosium, Hieronymum, Augustinum.

D e c a l v o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 11. 5. Omnis autem mulier orans aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est, ac si decalvetur. 1. ibid. 11. 6. turpe est mulieri tonderi aut decalvari.

Vocabulum legitur apud ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad septimum saeculum. Veget. 2. Mulom. 48. Praeterea locum, quem curare volueris, inducto psilothro decalvas. Usus est illa voce etiam Hieronymus, Isidorus.

D e g l u t i o, - i v i, - i t u m, 4.

1. Petr. 3. 22. deglutiens mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur.

Illud verbum legitur apud posterioris temporis scriptores, praesertim ecclesiasticos (cf. Cornelium Frontonem, Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. carm. 4. 364. Degluttire virum faucesque inplere capaces Ardenti monstro cum sit permissa potestas.

E l u c e s c o, 3.

2. Petr. 1. 19. cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.

Vocabulo usi sunt scriptores ecclesiastici: Lactantius, Augustinus. Verbum in litteris Latinis rarum.

G l o r i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 6. 20. Glorificate et portate Deum in corpore vestro. Rom. 1. 21. glorificaverunt, aut gratias egerunt. 2. Cor. 9. 13. glorificantes Deum in oboedientia confessionis vestrae.

Verbum ante ecclesiasticorum aetatem non fuit in usu. Legitur inde a Litteris Sacris, hinc passim adhibetur apud scriptores Christianos usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, Gregorium Turonensem et multos alios). Alc. Avit. contr. Arr. 26. p. 10. 27. quamlibet illic cum illo futuri sint, qui fuerint glorificandi.

H o n o r i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Petr. 4. 11. ut in omnibus honorificatur Deus per Iesum Christum. 1. ibid. 2. 17. Regem honorificate. Rom. 11. 13. ministerium meum honorificabo.

Vocabulum ante ecclesiasticorum tempus in litteris Latinis non legitur. Usurpaverunt illam vocem multi scriptores ecclesiastici inde ab Itala (cf. Lactantium, Hilarium, Augustinum, Sulpicium Severum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. contr. Arr. 25. p. 10. 8. Sed quicumque non sic honorificaverint filium, sicut honorificat patrem. Optimi scriptores pro honorificandi verbo honorandi, in honore habendi, colendi voces usurpaverunt.

I u s t i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 2. 13. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Ibid. 3. 20. Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Gal. 3. 8. Providens autem Scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus. Rom. 5. 1. Iustificati ergo ex fide. Adde etiam Gal. 3. 24., Rom. 3. 4. et alicubi.

Iustificandi verbum legitur apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde ab Itala et Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum (cf. Prudentium, Augustinum, Corippum poetam).

M o r t i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 8. 13. si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ibid. 8. 36. Quia propter te mortificamur tota die. 1. Petr. 3. 18. Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.

Mortificandi verbum in usu fuit apud ecclesiasticorum temporis scriptores, praesertim tertii, quarti, etiam quinti saeculi (cf. Tertullianum, Luciferum, Ambrosium, Prudentium, Prosperum).

O b v i o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 7. 1. qui obviavit Abrahae regresso a caede regum. Ibid. 7. 10. quando obviavit ei Melchizedech.

Illud verbum in usu fuit apud ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad septimum saeculum. Vocabulo usus est Vegetius, Macrobius, Ambrosius, Hieronymus, Orosius, Venantius Fortunatus et alii scriptores, etiam iurisconsulti. Ven. Fort. Vit. Mart. 1. 488. Inde Parisiacam sacer intrans concite portam obviat in faciem leprosum versus euntem.

P r o p a l o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 9. 8. nondum propalatam esse sanctorum viam.

Propalare est i. q. Graece φανεροῦν, palam facio, divulgo. Legitur apud scriptores ecclesiasticorum temporis inde a tertio saeculo, velut apud Commodianum, Diomedem, Augustinum, Orosium, Claudianum Mamertum, Sidonium.

R e p r o p i t i o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 2. 17. ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

Repropitiare est aut iterum propitium reddere, aut idem fere ac propitiare. Illud verbum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Ambrosium, Rufinum, Origenem).

S a n c t i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

Ephes. 5. 26. ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae. 1. Cor. 1. 2. Sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis. 1. Petr. 3. 15. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris. Hebr. 2. 11. Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Adde Rom. 15. 16., 1. Cor. 8. 1., 2. Tim. 2. 21., 1. Cor. 6. 11. et alicubi.

Illud verbum ante ecclesiasticorum tempus in litteris Latinis non legitur. In magno tamen usu fuit apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Sulpicium Severum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. contr. Eutych. 1. p. 14. 25. si arbitrio suo corpora indigna sanctificat.

S u p e r a b u n d o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 7. 4. repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Rom. 5. 20. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.

Illud vocabulum legitur apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf.

Tertullianum, Macrobium, Lactantium, Hieronymum, Venantium Fortunatum). Ven. Fort. carm. 3. 21. Copiosam et superabundantem pectoris vestri dulcedinem... quis ... vel corde possit concipere vel sermone valeat explicare?

S u p e r a e d i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Petr. 2. 5. Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis. 1. Cor. 3. 14. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. 1. ibid. 3. 12. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc. Adde Col. 2. 7., Ephes. 2. 20., 1. Cor. 3. 10., Iud. 20.

Illud verbum in usu fuit apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Porphyrium, Hieronymum, Hilarium, Paulinum Nolanum, Cassianum, Augustinum, Ennodium).

S u p e r e x t e n d o, - d i, - s u m, 3.

2. Cor. 10. 14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos.

Vocabulum in usu fuit apud scriptores ecclesiasticos inde ab Irenaeo usque ad septimum saeculum (adde Hilarium, Venantium Fortunatum). Ven. Fort. carm. 10. 6. 40. se superextendens effugat arma necis.

S u p e r i m p e n d o, - d i, - s u m, 3.

2. Cor. 12. 15. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.

Vox in litteris Latinis admodum rara est. Praeter laudatum Vulgatae locum lexica indicant etiam locum apud Iulianum, qui scripsit sexti saeculi medio.

S u p e r o r d i n o, - a v i, - a t u m, 1.

Gal. 3. 15. hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat.

Vox legitur etiam apud Tertullianum, Gelasium papam.

S u p e r v e s t i o, - i t u m, 4.

2. Cor. 5. 4. eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri.

Vocabulum in usu fuit apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Ambrosium, Hieronymum, Augustinum). Nonnulli illud verbum etiam Plinio Maiori tribuunt: id. nat. 33. (60.): et imagines rerum tenui folio, brevique et virente supervestiens. Alii tamen semper vestiens legunt.

V a l e f a c i o, - f e c i, - f a c t u m, 3.

2. Cor. 2. 13. sed valefaciens eis.

Vox legitur, ut lexica indicant, inde ab Apuleio. Usurpave-

runt illam etiam scriptores ecclesiastici, velut Paulinus Mediolaniensis, Hieronymus, Augustinus. Valefacio est idem ac valedico.

V i v i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Petr. 3. 18. mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. Gal. 3. 21. Lex, quae posset vivificare. 2. Cor. 3. 6. littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Rom. 8. 11. vivificabit et mortalia corpora vestra. Rom. 4. 17. qui vivificat mortuos. 1. Tit. 6. 13. qui vivificat omnia. Adde 1. Cor. 15. 22.

Vivificandi verbum ante ecclesiasticorum tempus in litteris Latinis non legitur. In magnum tamen usum venit apud scriptores ecclesiasticos inde a Minucio Felice: Min. Fel. 32. 6. cum ipsam animam tuam, qua vivificaris et loqueris, nec aspicere possis, nec tenere? In usu verbum fuit usque ad septimum saeculum (cf. Tertullianum, Hilarium, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum, Venantium Fortunatum). Alc. Avit. epist. 4. p. 32. 14. illis opera sua, si fide fuerint vivificata, sufficiunt. Ven. Fort. carm. 7. 12. 46. et redit ex tumulo vivificatus homo.

b) De verbis, quae etiam ante ecclesiasticorum tempus in usu fuerunt.

1. De verbis a substantivis derivatis.

De illis verbis iam posterioribus temporibus derivata verba tractans disserui. Ex huc spectantibus verbis ante ecclesiasticorum tempus adhibitis nonnulla aut antiquissimis temporibus, aut post bonam aetatem in litteras recepta vel a scriptoribus derivata sunt. Magna tamen pars, de qua re videatur infra, inde a bonae aetatis poetis in usum venit. Lapidandi tantum verbum inde a belli Hispaniensis auctore legitur. Verbum triumpho passiva modo forma vel transitiva significatione vulgare est.

A u x i l i o r, - a t u s   s u m, 1.

Hebr. 2. 18. In eo enim, in quo passus est ipse, et tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari.

Auxilior est sermonis communis vox. In litteris perraro tam a poetis, quam a scriptoribus usurpatur. Legitur iam inde a Plauto. Cicero illam vocem in epistolis tantum adhibet, Caesar autem ter illa est usus. Nobis explicandus est huius verbi usus apud Caesarem. Ille hanc vocem adhibet in belli Gallici commen-

tariis: Gall. 4. 29. neque ulla nostris facultas aut administrandi aut auxiliandi dabatur; ibid. 7. 25. 1. nec facile adire apertos ad auxiliandum animadvertebant, et ibid. 7. 50. 6. conantibus auxiliari suis „Frustra, inquit, meae vitae subvenire conamini..." Caesar quamquam hanc sermonis castrensis vocem usurpavit, cum de auxilium ferendo militibus agebatur, tamen admodum raro et tantum gerundii et infinitivi forma. Saepissime illud vocabulum legitur apud Plinium Maiorem (53-ies), Petronium, Apuleium, qui huic voci maxime favebant. Vocabulum praeterea legitur apud scriptores Christianos, velut Lactantium, Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum et alios, etiam apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis. Non solum Caesar et Cicero illud verbum vitabant, sed etiam Livius illo non est usus.

Causor, - atus sum, 1.

Rom. 3. 9. Causati enim sumus, Iudaeos, et Graecos omnes sub peccato esse.

Hoc verbum usurpatum esse mihi videtur magis in sermone communi antiquorum, quam in litteris. Quamquam illo usus est iam Pacuvius, tamen optimi Latini scriptores illud non adhibent, nisi Cicero uno orationum suarum loco, eoque dubio: Cic. Qu. Rosc. 41. Si planum facio, post hanc recentem stipulationem Roscii HS CCC1 ƆƆƆ a Flavio te abstulisse, numquid causare, quin ab iudicio abeas turpissime victus? Alii tamen pro „causare" „causa est" legunt. Mihi tamen videtur disputandum non esse utrum „causare", an „causae est" laudato Ciceronis loco exstet, nam hanc orationem Cicero adulescens fere scripsit, cum non tam diligenter suas orationes elaborabat. Ex orationis solutae scriptoribus praeter hunc dubium Ciceronis locum illud verbum legitur primum apud Sallustium et Livium. Postea vox crebrescit, praesertim apud scriptores Christianos.

Vocabulum etiam in linguas novicias e lingua Latina ortas transiit. Causari Italice enim cosare, vetere Francogalliae lingua choser dicitur.

Vocabulo est usus Curtius, Gellius, Augustinus, Apuleius, Avellius, Alcimius Avitus, Cassiodorus.

Cibo, - avi, - atum, 1.

Rom. 12. 20. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum.

Optimi Latini scriptores hanc vocem non adhibent. Apud vetustiores vocabulum admodum rarum et non usurpatum us-

que ad Apuleium, Tertullianum, Italam, cum nisi de bestiis agebatur. In litteris vocabulum legitur inde a Columella. Vetustiore significatione etiam apud Suetonium, Plinium, Apuleium, Chironem invenitur. Recentiore autem significatione verbum legitur apud multos Christianos scriptores inde a Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum (cf. Irenaeum, Paulinum Nolanum, Maximum Taurinum, Caelium Aurelianum, Cassiodorum et multos alios).

Illud verbum etiam in linguas novicias transiit. Cibare lingua Sicula civari, Hispanice cebar dicitur.

F a s c i n o, - a v i, - a t u m, 1.

Gal. 3. 1. quis vos fascinavit, non obedire veritati.

Optimi Latini scriptores illam vocem non adhibent. Verbo usi sunt poetae et posterioris temporis scriptores usque ad sexti saeculi exitum. Verg. ecl. 3. 103. nescio quis teneros oculos mihi fascinat agnos. Vox legitur apud Catullum, Plinium Maiorem, Gellium, Vegetium, Hieronymum, Augustinum, Leonem Magnum, Cassiodorum et alios scriptores.

Illud verbum in linguas e lingua Latina ortas transiit. Fascinare Italice enim fascinare, vetere Francogalliae lingua faisnier dicitur.

F l a g e l l o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 12. 6. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.

Verbum legitur primum apud Ovidium, inde invenitur apud proximae aetatis scriptores raro, persaepe apud scriptores ecclesiasticos. Ovid. met. 3. 94. Pondere serpentis curvata est arbor et ima parte flagellari gemuit sua robora caudae. Vocabulum in usu fuit usque ad septimum saeculum (cf. Plinium Maiorem, Statium, Suetonium, Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Sidonium, Gregorium Turonensem, Venantium Fortunatum). Ven. Fort. carm. 5. 7. 10. et crepitans Boreas pineta comata flagellat.

G e r m i n o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 12. 15. ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.

Germinandi verbum legitur apud Horatium, Plinium, Martialem, Statium et scriptores ecclesiasticos inde ab Itala et Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf. Prudentium, Hila-

rium, Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum, Gregorium Turonensem).

L a p i d o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 11. 25. Tum virgis caesus sum, semel lapidatus sum. Hebr. 11. 37. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt.

Lapidare est lapides iacere, lapidibus appetere. Verbum legitur inde ab auctore Belli Hispaniensis. Usus est illo vocabulo etiam Petronius, Suetonius, Florus et scriptores ecclesiastici usque ad septimum saeculum (cf. Cyprianum, Tertullianum, Venantium Fortunatum). Ven. Fort. Vita S. Mart. 4. 180. ac lapidata cibum populis seges aegra negaret.

Apud Livium illud verbum impersonaliter adhibetur: Liv. 27. 37. Novemdiale sacrum fuit, quia Veiis de coelo lapidaverat. Lapidare apud Livium est lapidibus pluere.

L u x u r i o r, - a t u s s u m, 1.

1. Tim. 5. 11. Adolescentiores autem viduas devita: Cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt.

Luxuriandi verbum frequenter legitur apud poetas: Vergilium, Ovidium et apud multos posterioris temporis orationis solutae scriptores, velut apud Livium,Columellam, Petronium, Florum et alios. Statius. 2. Theb. 676. ubi sanguine multo luxuriata fames cervixque et tabe gravatae consedere iubae.

O p e r o r, - a t u s s u m, 1.

Rom. 1. 27. masculi in masculos turpitudinem operantes. Ibid. 2. 10. Gloria autem et honor, et pax omni operanti bonum, Iudaeo primum, et Graeco. Ibid. 2. 9. Tribulatio, et angustia in omnem animam operantis malum, Iudaei primum et Graeci. Ibid. 5. 3. tribulatio patientiam operatur. Adde Joann. 2. 8., Philipp. 2. 13.

Illud verbum legitur apud bonae aetatis poetas: Ovidium, Vergilium et alios. In oratione soluta primus illo est usus Livius. Vocabulum in magno usu fuit apud primi et secundi saeculi post Christum natum scriptores (cf. Curtium, Plinium Maiorem, Columellam, Tacitum, Quintilianum, Apuleium et alios). Praeterea voce usi sunt ecclesiastici et ethnici ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad septimum saeculum (adde Capitolinum, Lampridium, Alcimium Avitum, Venantium Fortunatum). Ven. Fort. carm. 10. 6. 17. Martini auxiliis operando Gregorius aedem reddidit iste novus quod fuit ille vetus.

P o r t o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 6. 20. Glorificate et portate Deum in corpore vestro. Hebr. 1. 3. portansque omnia verbo virtutis suae. Gal. 5. 10. qui autem conturbat vos, portabit iudicium. Ibid. 6. 2. Alter alterius onera portate. Ibid. Gal. 6. 5. Unusquisque enim onus suum portabit. 2. Petr. 2. 11. Angeli... non portant adversum se execrabile iudicium. 1. Cor. 15. 49. sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis.

Bona aetate inter portandi et ferendi verba illa differentia fuit, ut portare usurparetur tantummodo, cum de rebus gravioris ponderis ageretur. Et in sermone communi et apud vulgaris sermonis proprietatibus abundantes scriptores porto propter significantiorem illius verbi vim plenoque ore profandum in - are cadentem exitum iam inde ab antiquissimis adamatum est. Plautus enim et Terentius portandi verbo utitur etiam illa significatione, qua ferendi tantummodo apud bonos scriptores adhibebatur. Ter. Andr. 338. Di boni, quid porto. Bona aetate apud auctorem belli Africani „sarcinas comportare" legitur, ubi Caesar saepius „sarcinas conferre" usurpat. Bell. Afr. 69. 2. sarcinas legionarios in acervum iubet comportare. Etiam magis portandi verbum apud posterioris temporis scriptores usurpari coepit. Vera posterioris temporis scriptoribus propria vulgarique significatione illud verbum saepe apud Apuleium adhibetur: id. Met. 5. 31. an quod aetatem portas bellule. Eadem significatione vocabulum etiam apud plurimos alios posterioris temporis scriptores legitur: Alc. Avit. carm. 6. 170. cum portet nomen inane Coniugis.

Et apud Caesarem, et apud Ciceronem multo saepius verbum ferre, quam portare adhibitum est, posterioribus tamen temporibus portandi verbum ita magis magisque usurpari coepit, ut ferendi verbi locum omnino occupaverit. In linguas novicias e lingua Latina ortas tantummodo portandi verbum transiit: portare Italice portare, Francogallice porter, Hispanice portar, Valachice purta dicitur.

R a d i c o, - a v i, - a t u m. 1. (et, deponentium more, radicor, atus sum, 1.).

Col. 2. 7. Radicati, et superaedificati in ipso, et confirmati fide. Ephes. 3. 7. in charitate radicati et fundati.

Radicari propria significatione est id, quod apud Catonem radices capere: id. agr. 51. ab arbore abs terra pulli qui nascen-

tur, eos in terram deprimito extollitoque primorem partem, uti radicem capiat. Translata autem significatione radicari est id fere quod apud Ciceronem radices agere: id. Tusc. 2. 43. Vera gloria radices agit atque etiam propagatur. Illa significatione, in qua est natum verbum, legitur apud Columellam, Plinium Maiorem, Palladium, Cassiodorum. Plin. nat. 13. 8. 1. In Assyria ipsa quoque arbor strata in solo umido tota radicatur. Translata significatione verbum in usu fuit apud Hieronymum, Sidonium.

S e m i n o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 9. 6. Qui parce seminat, parce et metet. Gal. 6. 8. Quae enim seminaverit homo, haec et metet. Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Jac. 3. 18. Fructus autem iustitiae, in pace seminatur, facientibus pacem.

Seminandi verbum est vulgaris sermonis et ponitur pro serendi vocabulo. Legitur iam inde a Plauto: id. Amph. 1. 2. 20. Alter decumo post mense nascetur puer Quam seminatust, alter mense septumo.

Caesar illo verbo admodum non est usus, serere quidem aliquoties adhibet. Cicero tantum semel in litteris ad philosophiam pertinentibus illo est usus, seminandi vero vocabulo saepissime, etiam in orationibus, est usus. Illud vocabulum legitur etiam apud Vergilium, Columellam et ecclesiasticos: Lactantium, Ambrosium, Cassiodorum. Cassiod. Var. 3. 4. 4. ut nullatenus inter vos scandala seminet aliena malignitas.

T r i b u l o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 1. 6. sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute.

Roensch in „Itala et Vulgata“ tribulandi verbum admodum praeteriit. Goelzer vero et Paucker in suis libris de Hieronymi Latinitate tantummodo de ecclesiastica illius verbi significatione mentionem fecerunt[1]). Mihi tamen illud vocabulum per omnia vulgare esse videtur, nam bonae aetatis scriptores illo non sunt usi. Partim consentio cum „Antibarbaro“, qui[2]) refert illam vocem antiquiore aetate adhibitam esse pro „tribulis exterere“, nam illa Cato est usus: id. agr. 23. 4. ubi indideris defrutum aut marmor aut resinam, dies XX permisceto crebro,

---

[1]) Goelzer, p. 254; Paucker, p. 94.

[2]) Vol. 2., p. 616.

tribulato cotidie. Partim autem approbo laudoque Goelzerium et Roenschium, nam apud nonnullos ecclesiasticos scriptores tribulandi verbum aliam habet vim atque apud ethnicos et usurpatur translate. Apud ecclesiasticos enim tribulare est affligere, ut laudato a nobis Vulgatae loco et apud Alcimium Avitum: id. carm. 6. 532. Quosque fremens hostis fallaci tribulat astu. Tribulare apud ecclesiasticos etiam intransitivorum more adhibetur et est tribulationem pati, cruciari (cf. Augustinum).

Triumpho, - avi, - atum, 1.

Col. 2. 15. Et expolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. 2. Cor. 2. 14. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu.

Transitivorum more cum accusativo obiecti verbum legitur tantum apud posterioris temporis scriptores: Gell. 2. 11. 4. Triumphavit cum imperatoribus suis triumphos novem. Praeterea legitur etiam apud ecclesiasticorum temporis alios scriptores (cf. Lactantium, Vopiscum, Hieronymum). Passiva, non impersonaliter adhibita forma, praesertim participium perfecti passivi legitur iam inde a bonae aetatis poetis: Ovidio, Vergilio. Verg. 3. Georg. 33. Bisque triumphatas utroque ab litore gentis. Praeterea legitur etiam apud Plinium Maiorem, Tacitum, Aurelium Victorem et alios, nusquam tamen apud optimos Latinos scriptores.

2. De verbis ab adiectivis derivatis.

Apto et mundo a secundae, gravo et vetero a tertiae declinationis adiectivis derivata verba sunt. Cum verbi gravo, tum etiam vetero ante exitum - are littera i omissa est. Verbum gravo, nisi activa forma, vulgare non est. Huc rettuli etiam verbum decimo, a nomine numerali ordinali decimus factum. Numeralium ordinalium enim exitus - mus proprie est idem atque adiectivorum gradus superlativi. Verbum decimo igitur minime differt a verbis desuperlativis, de quibus iam inde ab ecclesiasticorum tempore adhibita ab adiectivis derivata verba disserens dixi. Ibidem et in priore capite etiam plura de verbis a nominibus derivatis rettuli.

Apto, - avi, - atum, 1.

Hebr. 13. 21. Aptet (Deus) vos in omni bono, ut faciatis eius

voluntatem. Ibid. 11. 7. Noe... metuens aptavit arcam in salutem domus suae.

Quamquam Goelzer in suo libro de Hieronymo (p. 329.) de usu praepositionis ad post aptandi verbum mentionem fecit et Roensch in „Itala et Vulgata" (p. 151.) adverbii aptabiliter meminerat, neuter tamen illorum illud verbum vulgare esse docuit. Vocabulum legitur iam inde a Pomponi Atellanis (89. anno ante Chr. n.). Illud verbum cum frequentissime legitur apud poetas passim, etiam apud posterioris temporis scriptores, etiam iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis, ab optimis Latinis scriptoribus non est adhibitum, nisi uno Ciceronis loco, eoque adiectivorum more participio perfecti passivi adhibito: Cic. de or. 3. 162. Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, „dum licet". Aptandi verbum legitur apud Vergilium, Ovidium, Horatium, Statium, Silium, deinde apud Columellam, Celsum, Petronium et multos alios frequenter. Praeterea invenitur etiam apud ecclesiasticos: Irenaeum, Hilarium, Augustinum, Alcimium Avitum et alios. Alc. Avit. epist. 23. p. 55. 32. ad singula quae tempore collocutionis aptaveram.

Verbum etiam in novicias linguas transiit. Aptare nunc Hispanice enim atar dicitur, pt quidem assimilationis causa factum est tt, deinde t. Id quid Hispanice atar, Latine ligare est.

D e c i m o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 7. 9. per Abraham et Levi, qui decimas accepit, decimatus est.

Decimandi verbum in litteris Latinis duabus significationibus est adhibitum. In re militari decimari est supplicio affici ab imperatore, sorte ducta, cui contingat. Iam Livius de illo supplicio mentionem fecit, decimandi tamen verbum non adhibuit: id. 2. 59. 11. Cetera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Vocabulo iam Suetonius est usus: id. Aug. 24. Cohortes, si quae cessissent loco, decimatas hordeo pavit. Eadem significatione verbum adhibet etiam Frontinus, Capitolinus. Decimare est etiam deciman alicuius rei partem in sacrificium offerre, qua significatione vox legitur apud Symmachum: Symm. epist. 3. 51. ut unum aut alterum aeque edecumatae honestatis invenias.

G r a v o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 12. 16. ego vos non gravavi. 2. ibid. 12. 13. Quid est

enim, quod minus habuistis prae ceteris Ecclesiis, nisi quod ipse non gravavi vos?

Optimi Latini scriptores activum illud verbum admodum non habent. Activam huius verbi formam legimus apud Vergilium, Ovidium, Horatium, Statium, Plinium, Celsum, Tacitum, Quintilianum, etiam ecclesiasticos: Minucium Felicem, Alcimium Avitum, Ennodium, Venantium Fortunatum. Min. Fel. 27. 2. Sic a caelo deorsum gravant et a Deo vero ad materias avocant.

Mundo, -avi, -atum, 1.

2. Cor. 7. 1. charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus. Ephes. 5. 26. Ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae. Hebr. 9. 22. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur.

Illud verbum legitur inde a Plinio Maiore usque ad septimum saeculum. Plin. 33. 34. 2. ac subinde turbidum transfunditur in aereum vas emundatum nitro. Vocabulo usus est etiam Columella, Placitus, Hieronymus, Priscianus, Venantius Fortunatus. Verbum etiam in linguas novicias transiit. Mundare enim lingua Sarda mundare, Hispanice mondar, Portugallice mondar, lingua Provinciali mondar, Francogallice monder, Italice mondare dicitur.

Vetero, -avi, -atum, 1.

Hebr. 8. 13. Dicendo autem novum, veteravit prius.

Vox legitur inde a primo post Christum natum saeculo apud Senecam phil., Scribonium Largum, Celsum, Lexica, nisi laudatum Vulgatae locum et primi saeculi scriptores, non indicant. Veteratus legitur etiam apud Venantium Fortunatum: id. Mart. 1. Dulcia membra viri per amara flagella cavantur et Christi iuvenem veterata piacula torquent.

3. De verbis frequentativis et deminutivis.

Et apud antiquissimos scriptores, et in sermone communi verba frequentativa adamata sunt. Illa praecipue a tertiae coniugationis verbis formabantur, nam frequentativorum exitus plenius sonabat. Homines de plebe enim uti malebant illis verbis, quibus aperto ore pronuntiando gravitas tribui soleret. Inter 500 (una cum compositis et formis minoribus) verba fere una e tribus partibus omnino, vel maxima ex parte, ante Cice-

ronis aetatem in usu fuit. Plus una e tribus partibus apud Ciceronem et Caesarem in usu erat. Cetera omnia posteriorum temporum sunt. Ex antiquissimis Plautus et Cato illis verbis maxime uti solebant, Terentius quidem longe non plurimus in illorum usurpatione erat. Apud Terentium imprimis quae legantur frequentativa, velut cursito, haesito, pavito, a posterioris temporis scriptoribus probata sunt, verbum haesito etiam Caesar et Cicero in orationibus adhibuit, Plauti quidem illa verba maxima ex parte reiecta sunt. Nonnulli viri docti, velut Wölfflin[1]), verba frequentativa, tantummodo semel a Plauto adhibita, secundum vulgaris sermonis rationem ab ipso Plauto ficta esse putant.

Sallustius in frequentativorum usurpatione multo abundantior, quam Caesar et Cicero fuit. Ille non tam e sermone communi, quam ex antiquissimis scriptoribus (et poetis) plurima frequentativa sumpsisse videtur, nam multa illorum Sallustii propria et apud belli Africani et Hispaniensis auctorem non inveniuntur. Optimi Latini scriptores verbis frequentativis uti necesse sibi non arbitrabant, nisi re vera significantiores notiones expressuri erant. Cicero cautissimus fuit ad illa verba adhibenda in orationibus, praeter orationem pro S. Roscio, quae, ut etiam cetera priorum orationum, minime diligenter elaborata est. Illa in oratione leguntur nonnulla frequentativa, velut reclamito, fugito, munito, quibus non plus quam semel est usus. Livius plura frequentativa adhibuit in prima decade, ut illo posterioris temporis scriptorum verbo utar, quae rerum scriptorum sermonis proprietatibus abundantior est. Posterioris temporis scriptores, velut Apuleius, Fronto, Tertullianus, Arnobius et alii aut nonnulla bona aetate improbata frequentativa denuo usurpare coeperunt, aut nova formaverunt.

Posterioribus tamen temporibus frequentativorum gravitas magis magisque minuebatur ita, ut ecclesiasticorum tempore exeunte verba frequentativa sententia a primogeniis nihil fere differre coeperint. Verbis frequentativis etiam vocabula significantia, velut saepe, etiam atque etiam, vehementer, addidi solebant. Iam quarto saeculo exeunte, ut Servius refert, plerique frequentativas formas veluti inutiles refutare volebant, sed convincebantur secundum rationem naturalem; multa enim

---

1) Arch., v. 4. p. 206.

erant, quae proprie explicari non poterant, nisi istis[1]). Ne miremur igitur posterioribus temporibus mediocrem tantum numerum frequentativorum in usu fuisse. In Apostolorum epistolis praeter verba dormito et visito etiam manduco huc spectare potest. Illud enim verbum a verbo mando syllaba - uc - adiecta derivatum est. Illud tamen verbum, ut etiam syllabicis - ic-, icil-, - icul - et aliis adiectionibus productae verborum formae, velut amaricare, nutricare, concipilare, missiculare, potius deminutivum aestimari potest. Verbum ambulo, quod de caetero parum certae originis est, nonnulli a verbo ambio ducunt. Ambulo igitur quasi verbi ambio forma deminutiva a nonnullis viris doctis iudicatur.

Ambulo, - avi, - atum, 1.

Ephes. 5. 8. Ut filii lucis ambulate. Rom. 14. 15. secundum charitatem ambulas. Ibid. 8. 1. qui non secundum carnem ambulant. Ibid. 13. honeste ambulemus. Col. 3. 7. In quibus et vos ambulastis. 2. cor. 10. 3. In carne enim ambulantes, non secundum carnem. Adde etiam Rom. 8. 4., 2. Cor. 4. 2., Col. 1. 10.

Quamquam vox in Litteris Sacris frequentissime adhibita est, Roensch tamen illam admodum praeterisset, nisi de alia illius verbi forma mentionem fecisset (Roensch, Itala et Vulgata, p. 464. ambolare - ambulare). Nec Goelzer, nec multi alii viri docti, qui in vulgares vocum proprietates inquirebant, de hoc verbo mentionem fecerunt.

Imprimis nobis aliquid dicendum est de ecclesiastica huius verbi significatione. Apud ecclesiasticos enim vox usurpatur peculiari significatione, cum de vita religiosa degenda agitur, quod sub oculos cadit e supra laudatis Vulgatae locis. Etiam per se ambulandi verbum sermonis vulgaris est, quod ut vado verbi eundi loco in communem usum transiit. Apud prioris temporis scriptores, praeter Plautum (43-ies) et Ciceronem (38-ies) raro legitur. Frequentant Celsus (26-ies), Seneca phil. (27-ies), Plinius (18-ies). Caesar illo vocabulo admodum non est usus.

Magnus huius verbi usus apud Plautum etiam magis a nobis relatam sententiam confirmat. Disserendum tamen est de illius vocabuli usu apud Ciceronem. In litteris ad philosophiam pertinentibus 19-ies, in epistolis, grammaticis et rhetoricis scriptis 23-ies, in orationibus quidem, diligentissime politis scriptis,

---

1) Servii commentarius in Donati artem, IV. 413. 1.

tantummodo quater legitur. Etiam ex illis quattuor locis Cicero frequentius est usus illo verbo in prioribus, minus perfectis orationibus: pro Quinctio (81. anno), pro Marco Tullio (72./71.), in Verrem (70.), tantummondo unus locus aliquid serius adhibitus est: pro Flacco (59.). Eundi autem verbum, quod est huius cognominatum, in Ciceronis orationibus frequenter legitur.

Apud posterioris temporis scriptores eundi verbum, praesertim formae, quae syllabae unius sunt, vitatum est. Eundi loco crebrius adhibitum est ambulare et vadere. Et in sermone cotidiano, et apud posterioris temporis scriptores voces breves contemnendae sunt. In Vulgata nullo loco i, 181 vade legitur, plurali numero 68-ies ite, nullo loco vadite, nam nullum opus alia voce erat. Etiam in Chironis Mulomedicina eundi verbi formae, quae unius sunt syllabae, admodum sublatae sunt, ambulandi autem verbum 50-ies adhibitum est. Ceterae eundi verbi formae in Mulomedicina ter adhibitae sunt.

Ambulandi verbum in linguas novicias transiit. Ambulare vetere Francogalliae lingua ambler, Francogallice aller, Hispanice andar, Italice andare, Valachice âmbla dicitur.

Dormito, -avi, -atum, 1.

2. Petr. 2. 3. fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus iudicium iam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat.

Illud verbum frequenter invenitur iam apud Plautum: id. Amph. 2. 2. 175. Te dormitare aiebas; mensa ablata est, cubitum hinc abiimus. Exstat etiam in Poenulo, Epidico, Asinariis, Trinummo. Vocabulum adhibent etiam poetae: Horatius, Ovidius. Ovid. 19. Heroid. 195. Namque sub Aurora, iam dormitante lucerna. Verbum quamquam etiam bona aetate in usu fuit, optimi tamen Latini scriptores illud non adhibent, nisi Cicero uno certo epistolarum loco: id. 2. Att. 16. (initium) Cenato mihi et iam dormitanti. Totius Latinitatis Lexicum praeter illum laudatum etiam duos locos indicat: 1. Divin. 28. et. 2. de orat. 33. Priore loco: ad lucem denique arte et graviter dormitare coepisse alii „dormire" legunt. Altero autem loco: et istam oscitantem et dormitantem sapientiam in aliis editionibus „dormitantem" est omissum. Etiam certis illis duobus locis Ciceronem dormitandi vocem vitasse confirmare possumus, nam in orationibus illa omnino non est usus, dormire quidem non minus quam septies legitur, in litteris autem ad philosophiam pertinentibus frequentissime exstat.

Post Ciceronem vocabulum in litteris Latinis admodum rarum est. Praeter Vulgatam legitur etiam quinto exeunte saeculo apud Apollinarem Sidonium: id. 2. epist. 2. 13. ubi somnulentiae cubiculariorum dormitandi potius quam dormiendi locus est.

M a n d u c o - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 8. 10. nonne conscientia eius, cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta? 1. ibid. 8. 7. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant. Rom. 14. 21. Bonum est non manducare carnem, non bibere vinum. 1. Cor. 9. 7. Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Adde etiam Rom. 14. 20., Jac. 5. 3., 1. Cor. 10. 31., 1. ibid. 10. 28., 1. ibid. 11. 24., 1. ibid. 10. 25., 2. Thess. 3. 8.

Manducandi verbum apud boni temporis scriptores non legitur. Vocabulum adhibet Petronius, Apuleius et scriptores ecclesiastici: Irenaeus, Hieronymus et alii. Petron. sat. 56. boves, quorum beneficio panem manducamus. Verbum etiam in linguas novicias transiit. Manducare Francogallice enim manger dicitur.

V i s i t o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 2. 6. Qui est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Jac. 1. 27. Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum.

Illud verbum in litteris Latinis inde a Plauto usurpatur: id. Curc. 2. 3. 64. Ibi me interrogat, Ecquem in Epidauro Lyconem tarpezitam noverim. Dico me novisse. „Quid? lenonem Cappadocem?" Annuo visitasse, et alicubi frequenter. Illa vox denuo invenitur apud posterioris temporis scriptores: Suet. Claud. 35. neque aegrum quemquam visitavit, nisi explorato prius cubilo. Apul. Met. 4. 18. (ad fin.) Quis enim quamvis fortis et intrepidus, immani forma tantae bestiae, noctu praesertim visitata, non se ad fugam statim concitaret? Non solum Apuleius, sed etiam alii posterioris temporis scriptores vocem adhibent, velut Hieronymus, Alcimius Avitus: Alc. Avit. epist. 41. p. 69. 12. datis ad humilitatem meam litteris visitastis.

Verbum quamquam et apud Plautum, et apud posterioris temporis scriptores magno in usu fuit, apud optimos tamen non legitur, nisi uno Ciceronis ad philosophiam pertinentium litterarum loco: Cic. 5. fin. 94. (ad finem): Is cum arderet podagrae doloribus, visitassetque hominem Charmides. Hic tamen visitare est ad aegrotum visendi causa venire. Visitandi loco Cicero saepe visere, convenire adhibet.

4. De verbis compositis.

In apostolorum epistolis quae legantur etiam ante ecclesiasticorum tempus adhibita multa sermonis vulgaris composita verba inveniuntur. Prior compositionis pars illorum maxima ex parte praepositio est. Huc spectare potest etiam verbum prurio, quod ut duce Isidoro plerique putant, a verbo peruro e littera elisa factum est: Isid. 4. Orig. 8. 7. Prurigo vocata est a perurendo et ardendo. Sunt etiam, quae duas praepositiones habeant, velut coinquino, superinduo. Consummo proprie verbum desuperlativum est. Abundantibus compositis, quorum prior compositionis pars praepositio vel duae praepositiones sunt, satis hic disserendarum litterarum vulgaris sermonis color patefit. Optimi enim scriptores ad easdem notiones exprimendas aut omnino aliis verbis utebantur, aut eorundem simplicia usurpabant.

Cetera huc relata verba maxima ex parte e nomine et verbo coniuncta sunt. Quattuor ex illis: fructifico, laetifico, magnifico, pacifico, sunt illorum vulgarium verborum, quae in posteriore compositionis parte - ficare habeant. Arefacio ex areo et facio coniunctum esse videtur. Cetera, velut crucifico, naufrago, satago et alia in lingua Latina omnino rara sunt. Pro his iuxta positis verbis saepe utrumque elementum separatim adhibetur, velut cruci affigo, satis ago.

A b o l e o, - e v i, - i t u m, 2.

Rom. 4. 14. exinanita est fides, abolita est promissio.

Pro abolere optimi scriptores delere, tollere, dirimere, exstinguere dicunt. Vocabulum legitur inde a Vergilio, apud orationis solutae scriptores inde a Livio. Illud verbum in litteris Latinis gradatim in usum venit. Vergilius tantum infinitivum praesentis: ter abolere, semel aboleri adhibet. Ovidius, qui uno loco est usus, tantum abolere usurpat. Statius e septem locis sexies abolere adhibet. Livius, qui primus illa voce in oratione soluta uti ausus est, etiam abolerem, abolevi, aboleveram, abolebatur, aboleretur, abolendi, abolendus adhibet. Columella et Plinius Maior abolet, abolent addunt, Pomponius Mela et Plinius abolitus; Seneca phil. aboletur et futurum primum abolebit et abolebitur, Valerius Flaccus et Tacitus imperativum abolete, Itinerarium Alexandri abolens inducit. Postea illud verbum in usu fuit usque ad septimum saeculum (cf. Suetonium, Petronium, Tacitum, Tertullianum, Symmachum, Ambrosium,

Hieronymum, Orosium, Cassiodorum, Venantium Fortunatum). Usi sunt illa voce etiam iurisconsulti (cf. Ulpiani dig., Cod. Iust., Cod. Theodos.). Etiam in Inscriptionibus Latinis vocabulum invenitur.

A b o m i n o r, - a t u s s u m, 1.

Rom. 2. 22. qui abominaris idola, sacrilegium facis.

Vocabulum quamquam iam bona aetate in litteris Latinis legitur (cf. Ovidium), tamen optimi scriptores illud non adhibent. Legitur apud Livium, Curtium, apud utrumque Plinium, apud Senecam phil., Columellam, Quintilianum et ecclesiasticorum temporis scriptores inde ab Itala usque ad sextum saeculum (cf. Apuleium, Tertullianum, Augustinum, Orosium). Vox saepe adhibita est praecipue in formula „quod abominar!" pro „quod deus avertat, quod deus prohibeat, quod deus omen avertat".

A d h a e r e o, - h a e s i, - h a e s u m, 2.

Ephes. 5. 31. Propter hoc relinquit homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae. 1. Cor. 6. 16. An nescitis quoniam, qui adhaeret meretrici, unum corpus afficitur. Rom. 12. 19. adhaerentes bono.

Illud verbum, inde a Plauto usitatum, in maximum usum venit apud scriptores Christianos ex Itala et Vulgata usque ad septimum saeculum. Optimi Latini scriptores verbum non adhibent, nisi Cicero bis: semel in Arateorum fragmentis, quae admodum adulescentulus scripsit, et semel in litteris ad philosophiam pertinentibus. Simplici autem haerendi verbo, quod eandem vim ac compositum habet, Cicero tantum in litteris ad philosophiam pertinentibus ad 23-ies est usus, in orationibus autem circiter 35-ies.

Adhaerendi voce est usus Ovidius, Livius, Petronius, Plinius Maior et alii primi post Christum natum scriptores, deinde Apuleius et ecclesiastici (cf. Tertullianum, Augustinum, Alcimium Avitum, Gregorium Turonensem, Venantium Fortunatum). Vox legitur etiam apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis.

A d n u n t i o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 2. 1. Veni... annuntians vobis testimonium Christi. 1. ibid. 11. 26. mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Adde

Rom. 15. 21., Philipp. 1. 17. et alicubi.

Adnuntiandi verbum primum legitur apud Senecam phil., deinde apud Curtium, Plinium Maiorem. In maiorem usum venit apud scriptores ecclesiasticos. Sen. dial. 7. 28. 1. quibus in circo aut theatro desidentibus iam funesta domus est nec adnuntiatum malum. Usurpat vocem etiam Suetonius, Apuleius. Apul. met. 9. 35. magnas et postremas domino illi fundorum clades adnuntians. Ex ecclesiasticorum temporis scriptoribus vocem adhibet etiam Tertullianus, Frontinus, Hegesippus, Prudentius, Hieronymus, Martianus Capella, Sulpicius Severus, Orosius et multi alii.

Nonnulli etiam Ciceroni illud verbum tribuunt, tamen in epistolis tantum: Cic. 12. Att. 1. eique interea aut scribes salutem aut annuntiabis. Alii tamen „nuntiabis" legunt. Quamquam nuntiandi verbum non solum apud Ciceronem, sed etiam apud Caesarem in maximo fuit usu, annuntiandi tamen verbo optimi scriptores non sunt usi, nisi Cicero illo dubio, eoque tantummodo epistolarum loco.

A r e f a c i o, - f e c i, - f a c t u m, 3.

Jac. 1. 11. Exortus est enim Sol cum ardore, et arefecit foenum.

Vocabulum legitur iam inde a Catone: id. agr. 69. postea amurcam eximito et arfacito. Id. ibid. 125. murtam nigram arfacito in umbra. Exstat deinde apud Varronem, Scribonium Largum, Celsum, Plinium Maiorem, Vitruvium, Columellam et multos Christianorum temporis scriptores usque ad septimum saeculum (cf. Gellium, Tertullianum, Arnobium, Hilarium, Paulinum Nolanum, Oribasium, Gregorium Turonensem).

C o g n o m i n o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 2. 17. Si autem tu Iudaeus cognominaris.

Cognominandi verbum quamquam iam inde a Varrone legitur, apud optimos tamen scriptores omnino abest, nisi apud Ciceronem uno loco, ubi tamen participium perfecti passivi adiectivorum more adhibitum est: id. part. 53. Verba ponenda sunt... gravia, plena, sonantia, iuncta, facta, cognominata, non vulgata... Non solum Cicero, sed etiam Varro et aliquid posterioris temporis scriptores praecipue participio perfecti passivi usi sunt, posterioris quidem temporis scriptores saepius ceteras formas adhibent (cf. locos, in Thesauro L. L. in p. 1496 - 1500 collaudatos).

C o i n q u i n o, - a v i, - a t u m, 1.

Tit. 1. 15. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum et mens, et conscientia.

Illud decompositum verbum legitur inde ab Accio usque ad septimum saeculum. Usus est illo Columella, Valerius Maximus et nonnulli alii ethnici scriptores. In maiorem tamen usum venit apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala (cf. Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Ennodium, Gregorium Turonensem, Gregorium Magnum). Optimi Latini scriptores illud vocabulum omnino non adhibent.

C o n f i g u r o, - a v i, - a t u m, 1.

Philipp. 3. 10. configurantes morti eius. 1. Petr. 1. 14. Quasi filli oboedientiae, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis.

Vocabulum legitur inde a Columella. In maiorem tamen usum venit inde ab Itala apud scriptores ecclesiasticos, praesertim tertii et quarti saeculi. Voce est usus Gellius, Tertullianus, Macrobius, Lactantius, Ambrosius, Augustinus et alii.

C o n s u m m o, - a v i, - a t u m, 1.

Gal. 3. 3. Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummamini? Ibid. 5. 15. videte, ne ab invicem consummamini. Rom. 2. 27. legem consummans. 2. Tim. 4. 7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi.

Illud verbum in litteris Latinis legitur inde a Livio usque ad septimum saeculum. Vocabulo est usus Ovidius, Seneca phil., Plinius Maior et multi alii illius et posterioris temporis ethnici scriptores, deinde ecclesiastici inde ab Itala: Tertullianus, Hilarius, Augustinus, Alcimius Avitus, Cassiodorus. Usi sunt illa voce etiam iurisconsulti, saepissime autem illa exstat in Inscriptionibus Latinis et Christianis.

C o n t r i s t o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 7. 8. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet. 2. ibid. 2. 2. Si enim ego contristo vos: et quis est, qui me laetificat. Ephes. 4. 30. Et nolite contristare spiritum sanctum Dei. Rom. 14. 15. Si enim propter cibum frater tuus contristatur. Adde 2. Cor. 2. 5., 2. ibid. 7. 9. et alicubi.

Vocabulum legitur inde a Rutilio Lupo et Caelio. Vocabulum in usu fuit usque ad septimum saeculum (cf. Horatium, Senecam rhetorem, Plinium Maiorem, Statium, Apuleium, Cas-

siodorum, Gregorium Turonensem). Optimi Latini scriptores illo verbo non sunt usi, nisi Cicero in epistolis.

Conversor, - atus sum, 1.

1. Petr. 1. 17. in timore incolatus vestri tempore conversamini. Ephes. 2. 3. In quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis. Philipp. 1. 27. Tantum digne Evangelio Christi conversamini. Adde 1. Tim. 3. 15., 1. Petr. 1. 17. et alicubi.

Illud verbum in litteris Latinis legitur inde a Seneca rhetore usque ad septimum saeculum apud scriptores ecclesiasticos et iurisconsultos. Usus est illa voce Senesa phil., Plinius Maior, Columella, Curtius, Apuleius, ecclesiastici autem inde ab Itala (cf. Tertullianum, Augustinum, Gregorium Magnum, Venantium Fortunatum).

Crucifigo, - xi, - xum, 3.

2. Cor. 13. 4. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed vivit ex virtute Dei. Gal. 6. 14. per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Rom. 6. 6. vetus homo noster simul crucifixus est. Gal. 5. 24. carnem suam crucifixerunt cum vitiis. Adde 1. Cor. 1. 13., 1. ibid. 1. 23. et alicubi.

Crucifigere aut divisum cruci figere legitur inde a primo saeculo post Christum natum usque ad septimum (cf. Plinium Maiorem, Valerium Maximum, Quintilianum, Suetonium). Apud ecclesiasticos legitur inde ab Itala (cf. Cyprianum, Tertullianum, Lactantium, Augustinum, Alcimium Avitum, Cassiodorum, Venantium Fortunatum, Gregorium Magnum). Optimi Latini scriptores pro hac voce in crucem tollere usurpaverunt: Cic. Verr. 1. 7. (act. sect.) partim implorantes iura libertatis et civitatis in crucem sustulit. Etiam huius verbi loco cruce afficere usurpabatur: Cic. Verr. 1. 9. cum cives Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit; etiam cruci suffigere: id. Pis. 42. si te et Gabinium cruci suffixos viderem; denique in crucem agere: Id. fin. 5. 92. ne tum quidem miser, cum ab Oroete, praetore Darei in crucem actus est.

Deturpo, 1.

1. Cor. 11. 4. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. 1. ibid. 11. 5. deturpat caput suum.

Vocabulum in litteris Latinis rarissime legitur. Usus est illo etiam Suetonius: id. Cal. 35. Pulchros et comatos quotiens sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat, deinde Plinius Maior: id.

nat. 15. 116. aquilonis quoque adflatu poma deturpante rugis. Adde etiam Hieronymum.

D i f f a m o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Thess. 1. 8. A vobis enim diffamatus est sermo Domini.

Verbum legitur apud poetas et posterioris temporis orationis solutae scriptores inde a Tacito. Vocabulo usi sunt praeterea ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Apuleium, Augustinum).

E m u n d o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Joann. 1. 7. et sanguis Iesu Christi, Filii eius, emundat nos ab omni peccato. 1. ibid. 1. 9. et emundet nos ab omni iniquitate. Hebr. 9. 14. emundabit conscientiam nostram.

Illud verbum legitur apud Columellam et ecclesiasticos: Tertullianum, Hieronymum.

E v a c u o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 13. 11. Quando autem factus sum vir, evacuavi, quae erant parvuli. Id. ibid. 15. 24. evacuaverit omnem principatum. Gal. 5. 4. Evacuati estis a Christo. Ephes. 2. 15. Legem mandatorum decretis evacuans. Adde 2. Cor. 3. 14., 1. ibid. 1. 17., 1. ibid. 13. 8., Rom. 3. 3., Gal. 5. 11. et alicubi.

Evacuandi verbum legitur iam apud Plinium Maiorem: id. nat. 20. 23. 2. Diocles hydropicis cum centaurio, aut in fico duplici ad evacuandam alvum, quod efficacius praestat viride cum coriandro in mero potum. Illud verbum in usu fuit etiam apud ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad septimum saeculum (cf. Cyprianum, Caelium Aurelianum, Hieronymum, Augustinum, Orosium, Ennodium, Venantium Fortunatum). Praeterea illa voce usi sunt etiam iurisconsulti (cf. Cod. Iust.).

E x a l t o, - a v i, - a t u m, 1.

Jac. 4. 10. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. 1. Petr. 5. 6. Humiliamini igitur sub potentia manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.

Illud verbum frequenter legitur in Inscriptionibus Latinis et apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Hieronymum, Augustinum). Exaltare proprie est in altum elevare, erigere. Exaltare, quatenus altitudo pro profunditate etiam accipitur, est profundius cavare. Posteriore tantum significatione vocabulum legitur ante ecclesiasticorum aetatem et modo apud Columellam. Totius Latinitatis Lexicum etiam locum apud Senecam phil. priore e laudatis significationibus refert: Sen. 3. Quaest. nat.

proem. (9). Deus alia exaltat, alia submittit. Nunc autem etiam ille locus aliter legendus est: nunc cum maxime deus exstruit alia, alia submittit.

Exhortor, - atus sum, 1.

2. Cor. 6. 1. Adiuvantes autem exhortamur, me in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. ibid. 1. 4. per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo. 1. ibid. 14. 31. Potestis enim omnes singulos prophetare: ut omnes discant, et omnes exhortentur.

Illud vocabulum apud optimos Latinos scriptores non legitur. Legitur illud apud Vergilium, Ovidium, Petronium, Columellam, Valerium Maximum, Suetonium et multos alios posterioris temporis scriptores, etiam iurisconsultos. Petron. sat. 109. Exhortantibus universis odia detumescunt. Praeter Italam et Vulgatam etiam multi ecclesiasticorum temporis scriptores illo verbo sunt usi (cf. Apuleium, Lactantium, Augustinum). Idem verbum non solum deponentium more adhibitum est. Praeter illud 2. Cor. 1. 4. etiam Petronium, Apuleium, Ambrosium, Augustinum possumus huc conferre: Petron. sat. 76. 10. et sane nolentem me negotium meum agere exhortavit mathematicus.

Fructifico, - avi, - atum, 1.

Col. 1. 10. in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei. Rom. 7. 5. passiones peccatorum... operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Ibid. 7. 4. qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Col. 1. 6. Quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit.

Fructificare pro fructum (fructus) ferre adhibetur. Illud verbum ante ecclesiasticorum tempus non est adhibitum, nisi apud Calpurnium Siculum, Plinium Maiorem et Columellam. Apud ecclesiasticos autem legitur inde a Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum (cf. Ambrosium, Augustinum, Alcimium Avitum, Gregorium Turonensem, Venantium Fortunatum et multos alios). Ven. Fort. carm. lib. 4. 11. 7. dignum opus exercens qui fructificante labore cunctis, non soli vixit in orbe sibi.

Impropero, - avi, - atum, 1.

Jac. 1. 5. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat. Rom. 15. 3. Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.

Verbum duarum significationum est. Impropero enim est intro propero, ut apud Varronem legitur, multo saepius tamen

impropero est aliquod probrum alicui obicio. Improperandi verbum legitur apud posterioris temporis scriptores, velut apud Petronium, et Christianos usque ad sexti saeculi exitum (cf. Cyprianum, Lactantium, Augustinum, Alcimium Avitum, Cassiodorum).

Verbum etiam in linguas novicias posteriore, saepius adhibita significatione, transiit. Improperare Italice enim rimproverare, improverare dicitur.

I m p u t o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 4. 4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam.

Illud verbum bona aetate non legitur, nisi apud Ovidium. In maiorem usum venit apud posterioris temporis scriptores. Usus est enim voce Seneca phil., Columella, Velleius, Curtius, Suetonius, Tacitus et alii illius temporis scriptores. Praeterea verbum in usu fuit apud iurisconsultos et ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Symmachum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. 84. epist. 12. nihil imputet tarditati. Imputandi verbum sumptum est e positis super rationes eorum, qui rem gerunt et lucrum faciunt.

I n a m b u l o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 6. 16. Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos.

Inambulare est verbum formatum ex ambulandi verbo et in-, particula intentiva. Verbum est sermonis vulgaris, nam et ambulandi simplex e sermone communi sumptum est. Illius verbi usus nihil dicit contra id, quod supra rettuli, nam Caesar illo vocabulo admodum non est usus, Cicero quidem, quamquam illud vocabulum adhibet, in orationibus tamen tantum semel est usus: id. Verr. 4. 32. fratres illi Cibyratae inambulabant. Illa tamen oratio est una e minime diligenter elaboratis, in qua etiam simplex ambulandi verbum saepius adhibitum est, praeterea verbum usurpatum est in oratione recta, ubi sermo communis in conspectum venit. Inambulandi verbum legitur iam inde a Plauto: id. Asin. 682. Inambulandum est. Usi sunt illa voce etiam scriptores ecclesiastici: Minucius Felix, Tertullianus. Min. Fel. 2. 4. Itaque cum diluculo ad mare inambulando litori pergeremus.

I n c u r v o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 11. 10. et dorsum eorum semper incurva.

Verbum optimi scriptores non adhibent, nisi Cicero semel in litteris ad philosophiam pertinentibus: id. fin. 2. 11. bacillum inflexum et incurvatum de industria. Illae tamen Ciceronis litterae non melius elaboratarum sunt, in eisque autem participii modo perfecti passivi forma legitur. Verbum invenitur apud poetas: Vergilium, Catullum, Persium et apud posterioris temporis scriptores: Senecam phil., Plinium Maiorem, etiam Martialem. Saepissime quidem illud verbum in Litteris Sacris legitur.

I n h a b i t o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 6. 16. Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos. 2. ibid. 12. 9. ut inhabitet in me virtus Christi. Rom. 8. 11. propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.

Illud verbum legitur apud posterioris temporis scriptores: Petronium, Plinium Maiorem, Plinium Iuniorem, Senecam phil., Apuleium. Petron. sat. 116. Cum deinde diligentius exploraremus, qui homines inhabitarent nobile solum. Vox fuit in usu etiam apud ecclesiasticos (cf. Tertullianum, Augustinum).

I n n o t e s c o, - t u i, 3.

Ephes. 3. 10. Ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei. Philipp. 4. 6. petitiones vestrae innotescant apud Deum.

Illud vocabulum, quamquam apud optimos Latinos scriptores non legitur, exstat tamen iam apud Ovidium, in oratione quidem soluta apud Livium. Apud illos scriptores verbum intransitive adhibetur: innotesco enim est notus fio. Eadem vi illo verbo usus est etiam Valerius Maximus, Suetonius, Capitolinus, Macrobius, Ulpianus. Innotescere adhibetur etiam transitivorum more et est notum facere, indicare, ostendere. Posteriore significatione vocabulum legitur tantummodo apud ecclesiasticorum temporis scriptores usque ad septimum saeculum (cf. Rufinum, Victorem Vitensem, Cassiodorum, Gregorium Magnum). Cassiod. 1. Var. 42. 1. Innotescenda sunt magis Gothis quam suadenda certamina.

I n u n d o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Petr. 3. 6. Per quae ille tunc mundus aqua inundatus periit.

Optimi Latini scriptores inundandi verbum non adhibent, nisi Cicero uno loco: id. 1. nat. deor. 37. locus... suus est cuique proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua. Nec in

orationibus tamen, neque in ceteris litteris Cicero illo vocabulo alicubi est usus. Illud verbum adhibet Vergilius, Livius, Petronius, Valerius Maximus, Iustinus et scriptores ecclesiastici inde a Minucio Felice usque ad septimum saeculum. Min. Fel. 34. 4. Loquitur Plato partes orbis nunc inundare, nunc alterius vicibus ardescere. Ven. Fort. 5. carm. 3. 39. Gregorius radiat, sacer Augustinus inundat. Huius verbi participium perfecti passivi rarius legitur. Praeter laudatum Vulgatae locum illud participium legitur etiam apud Curtium et Petronium duobus locis, quorum altero certo, altero vero dubio, nam codices varie praebent. Petron. sat. 101. Inundatus hac Eumolpus invidia iurat per deos deasque. Id. ibid. 118. neque concipere aut edere partum mens potest nisi ingenti flumine litterarum inundata. Sunt codices, qui inundanter praebeant.

L a e t i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 2. 2. Si enim ego contristo vos: et quis est, qui me laetificet, nisi qui contristatur ex me?

Illa vox itemque multae aliae in - ficare exeuntes voces vulgares sunt. Legitur iam inde a Plauto. Plaut. Aul. 725. nunc eo alii laetificantur meo malo et damno. Illud verbum legitur etiam apud Plinium, Lucanum et scriptores ecclesiasticos: Palladium, Hieronymum, Sedulium, frequenter in Vulgata. Usus est etiam Cicero illo verbo, non in orationibus tamen. Caesar illud omnino non adhibet.

M a g n i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

Philipp. 1. 20. sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo. 2. Cor. 10. 5. spem autem habentes crescentis fidei vestrae, in vobis magnificari secundum regulam nostram.

Illud verbum apud bonae aetatis scriptores non legitur. In usu tamen fuit iam apud Plautum (aliquoties) et Terentium, dubio tamen loco. Plaut. Men. 371. Quia pol te unum ex omnibus Venus me voluit magnificare. Postea illud vocabulum legitur iam apud Plinium Maiorem, in maiorem tamen usum venit tantum apud scriptores ecclesiasticos, praesertim in Vulgata.

M a n i f e s t o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 1. 19. Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim in illis manifestavit. 1. Joann. 1. 2. Et vita manifestata est. 2. Cor. 7. 12. scripsi vobis... ad manifestandam

solicitudinem nostram. 2. ibid. 5. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi.

Manifestandi verbum quamquam iam apud Ovidium legitur, tamen non solum optimi Latini scriptores illo omnimo non sunt usi, sed etiam apud alios eiusdem et aliquid posterioris temporis scriptores non est adhibitum. Ecclesiasticorum tantummodo tempore illud vocabulum in maiorem usum venit (cf. Iustinum, Luciferum, Hieronymum).

N a u f r a g o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Tim. 1. 19. Habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.

Illud verbum non solum significatione translata, ut laudato Vulgatae loco, sed etiam propria vulgare est. Legitur apud Petronium et scriptores ecclesiasticos: Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Alcimium Avitum et alios. Alc. Avit. carm. 5. 697. Ultimus ingressis per currum naufragat undis.

O b u m b r o. - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 9. 5. Superque eam erant Cherubim gloriae obumbrantia propitiatorium.

Obumbrandi verbum apud bonae aetatis orationis solutae scriptores non legitur. Vocabulum adhibet Vergilius, Ovidius, Plinius Maior, Curtius, Petronius, Tacitus et alii. Verbum in usu fuit etiam apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Litteris Sacris usque ad sexti saeculi exitum. Ven. Fort. Mart. 1. 103. sic umbra fugit quem Christus obumbrat.

P a c i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

Col. 1. 20. Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.

Illud vocabulum quamquam iam inde a Plauto in Litteris Latinis legitur, optimi tamen scriptores illo admodum non sunt usi. Vocem adhibet Catullus, Sallustius, Livius, Silius, Lucanus, Seneca phil. Usi sunt illa etiam ecclesiasticorum temporis scriptores, velut Iustinus, Claudianus, Rufinus.

P a r t i c i p o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 2. 14. Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem. 1. Cor. 9. 13. et qui altari deserviunt, cum altari participant? 1. ibid. 10. 30. Si ego cum gratia participo.

Participandi verbum legitur iam inde a Plauto, qui illo aliquoties est usus, ab optimis scriptoribus tamen vitatur. In ma-

iorem usum venit apud posterioris temporis scriptores. Plaut. Mil. 263. Nam ille non potuit, quin sermone suo aliquem familiarium participaverit de amica eri. Caesar illud vocabulum admodum non adhibet. Cicero autem illud vitat et duobus tantum locis usurpat: id. leg. 1. 33. Sequitur igitur ad participandum alium alio communicandumque inter omnes ius nos natura esse factos, et id. Tusc. 2. 39. Qui alteri exitium parat, Eum scire oportet sibi paratum pestem ut participet parem. Priore tamen loco Cicero est usus tantum infinita illius verbi forma, posteriore autem in versibus et proverbialiter, ideo insolenter. Etiam Livius illud verbum vitabat et usus est illo tantum in prioribus libris: id. 2. 52. 8. Invitet Virginius collega, testis productus, participando laudes. Id. 3. 12. 5. L. Lucretius, consul anni prioris, recenti gloria nitens, suas laudes participare cum Kaesone. Livius similiter infinitas formas illius verbi adhibet, in aliquid posterioribus autem libris pro participandi verbo communicandi vocem, quam etiam Cicero adamat, ponit: id. 8. 30. 10. Literae... argumentum fuere minime cum eo communicantis laudes. In maiorem usum illud verbum venit inde a secundo post Christum natum saeculo (cf. Gellium, Apuleium, Iustinum, Tertullianum, Ambrosium, Lactantium, Symmachum, Ausonium, Spartianum, Cassiodorum).

P e r t i n g o, 3.

2. Cor. 10. 13. secundum mensuram... pertingendi usque ad vos.

Pertingendi verbum in manuscriptis saepe cum pertinendi verbo permutatum est. Propterea multis locis ante pertingere legebatur, ubi nunc pertinere legitur. Haec varia lectio etiam apud optimos scriptores exstat: Caesar 3. civ. 68. 2. Munitionem, quae pertingere a castris ad flumen supra demonstravimus, nunc autem: quam pertinere a castris . . . legitur. Etiam Cic. 2. nat. 9. Ex quo intellegi debet eam caloris naturam vim habere in se vitalem per omnem mundum pertingentem, nunc „pertinentem“ legunt. E bonae aetatis scriptoribus nunc tantum apud Sallustium solo loco atque eo participii modo forma legitur: id. Iug. 48. 3. sed ex eo medio quasi collis oriebatur in immensum pertingens. Pertingendi verbum in maiorem usum venit tantum inde ab aliquid posterioris temporis scriptoribus et fuit in usu usque ad septimum saeculum (cf. Vitruvium, Frontonem,

Avienum, Venantium Fortunatum). Ven. Fort. 6. carm. 12. 53. Longius inde absens ibi sed pertingo quod opto.

P r a e c e l l o, 3.

Rom. 3. 9. Quid ergo? praecellimus eos?

Illud verbum nullus bonae aetatis scriptorum adhibet. Vocabulum tamen in usu erat apud antiquissimos: Plaut. Pseud. 680. proinde ut quisque Fortuna utitur, ita praecellet. Hic laudato loco verbum secundae coniugationis formam habet. Apud Livium vocabulum exstat tantum semel in illo 5. 27. 1. Deinde legitur apud Plinium Maiorem, Statium, Tacitum, Suetonium. In maximum tamen usum venit apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Cassianum, Orosium, Optatianum, Ambrosium, Alcimium Avitum). Alc. Avit. carm. 4. 200. Sed tamen in cunctis praecellit clarior ille.

P r a e d e s t i n o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 1. 4. Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis. Ibid. 8. 29. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. 1. Cor. 2. 7. quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram. Ephes. 1. 5. Qui praedestinavit nos adoptionem filiorum.

Praedestinandi verbum quamquam iam inde a Livio legitur, in maiorem tamen usum venit apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Hilarium, Hieronymum, Prosperum, Prudentium, Augustinum).

P r a e s c i o, - i v i, - i t u m, 4.

Rom. 11. 2. Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit. Ibid. 8. 29. Nam quod praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.

Hoc verbum non solum apud optimos Latinos scriptores abest, sed etiam in litteris Latinis omnino rarum est. Verbum magis esse usurpatum in sermone communi videtur, quam in litteris, quia invenitur iam apud Terentium neque est oblitum usque ad Boethium, sexti saeculi scriptorem, qui hoc vocabulo in suo ultimo scripto de consolatione philosophiae usus est. Apud scriptores ecclesiasticos praescire speciatim usurpatur et sumitur pro praesignandi verbo, apud ceteros scriptores praescire est ante scire. Terent. Andr. 1. 5. 4. Nonne oportuit praescisse me ante? Sueton. Tib. 67. Existimant quidam praescisse haec eum peritia futurorum.

P r u r i o, 4.

2. Tim. 4. 3. ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.

Illud verbum quamquam inde a Plauto usque ad septimum saeculum legitur, apud optimos tamen scriptores non invenitur. Plaut. 5. 5. 36. Num tibi adulescens, malae aut dentes pruriunt, qui huic est molestus? Illud vocabulum apud Plautum magno in usu fuit. Legitur etiam apud Catullum, Celsum, Martialem, Iuvenalem, Scribonium Largum, Martianum Capellam, Isidorum. Verbum etiam in linguas novicias transiit. Prurire lingua Sarda prudire dicitur, Portugallice et Catalonice pruir, lingua Provinciali pruzer et (raro) pruzir, Italice prûdere, Gallice proér, quod pro prurire per prudere, deinde prurere factum est.

R e f l o r e o, - u i, 2.

Philipp. 4. 10. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire.

Illa significatione, in qua est illud verbum natum, legitur apud Plinium: id. 18. 43. 2. Secatur incipiens florere et quotiens refloruit. Translata significatione illud rarum vocabulum etiam apud Marium Victorinum invenitur.

R e f o r m o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 12. 2. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri. Philipp. 3. 21. Qui reformabit corpus humilitatis nostrae.

Illud verbum apud optimos Latinos scriptores non legitur. Bona aetate illud in usu fuit tantum apud poetas (cf. Ovidium). Apud orationis solutae scriptores in usum venit tantum inde a primi post Christum natum saeculi exitu (cf. Plinium Iuniorem, Valerium Maximum). Apud ecclesiasticorum temporis scriptores verbum in usu fuit inde a Minucio Felice usque ad septimum saeculum (cf. Cyprianum, Hilarium, Augustinum, Alcimium Avitum, Venantium Fortunatum). Min. Fel. 34. 9. hominem a deo, ut primum potuisse fingi ita posse denuo reformari? Id. 1. 5. Q. Caecilium . . . . . ad veram religionem reformavit. Alc. Avit. 19. 4. quod ille solus hominis statum potuit reformare de perdito. Ven. Fort. carm. 2. 11. 15. filia digna patri te, Theudebercthe, reformans.

R e s u r g o, - s u r r e x i, - s u r r e c t u m, 3.

Rom. 7. 4. qui ex mortuis resurrexit. 2. Tim. 2. 8. Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse a mortuis. Coloss.

2. 12. Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei. 1. Cor. 15. 4. Et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas.

Illud verbum apud optimos scriptores non legitur. Poetae tamen etiam bona aetate illo sunt usi: Ovid. 5. Met. 349. Nititur ille quidem pugnatque resurgere saepe. Horat. 2. carm. 17. 14. Nec si resurgat centimanus Gyges Divellet umquam. Verg. 4. Aen. 531. rursusque resurgens Saevit amor magnoque irarum fluctuat aestu. In oratione soluta primus illo vocabulo est usus Livius, qui tamen, quod notatu dignum est, huic verbo vocem „velut" addidit. Liv. 24. 45. quumque res Romana contra spem votaque eius velut resurgeret. Tacitus et alii posterioris temporis scriptores illud verbum iam sine „velut" usurpant: Tacit. 3. Hist. 2. quod Pannonicae legiones deceptae magis quam victae resurgere in ultionem properent.

Apud scriptores ecclesiasticos quidem resurgere usurpatur pro revivescere, post mortem ad vitam redire. „Antibarbarus" noster primum ecclesiasticorum illo vocabulo Tertullianum usum esse docet. „Antibarbarus" recte dixisset, si nobis consentiendum esset cum nonnullis viris doctis, qui Minucium Felicem suum dialogum „Octaviam" post Tertulliani „Apologeticum" et „Ad nationes libros" scripsisse putent. Nobis tamen potius consentiendum est cum plurimis viris doctis, qui illum Minucii Felicis dialogum ante Tertullianum scriptum esse putent. Min. Fel. 11. 6. utrumne cum corporibus an absque corporibus, et corporibus quibus, ipsisne an innovatis resurgatur. Id. 12. 6. Ita nec resurgitis miseri nec interim vivitis! Id. 38. 4. Sic et beati resurgimus et futuri contemplatione iam vivimus. Postea voce est usus Lactantius, Claudianus, Hieronymus, Augustinus, Alcimius Avitus. Alc. Avit. hom. 4. p. 107. 2. Sed quicumque sic temporaliter resurrexerunt, ut deinceps morerentur; ibid. 8. Christus autem resurgens. Praeterea illud verbum etiam in Inscriptionibus Christianis legitur.

R e s u s c i t o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Tim. 1. 6. admoneo te, ut resuscites gratiam Dei.

Illud verbum optimi Latini scriptores non adhibent. Legitur tamen illud iam inde ab Ovidio. In maiorem usum venit apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Tertulliano (adde Ambrosium, Prudentium, Alcimium Avitum). Alc. Avit. hom. 4. p. 107. 9. cum eos a morte perpetuo victuros resuscitabit.

R e v e l o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 1. 18. Revelatur enim ira Dei de coelo. Ibid. 1. 17. Iustitia enim Dei in eo revelata ex fide in fidem. 1. Cor. 2. 10. Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum. Ephes. 3. 5. sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis eius. Adde 2. Thess. 2. 2., Rom. 8. 18.

Revelandi verbum quamquam iam apud bonae aetatis poetas (cf Ovidium) legitur, apud solutae tamen orationis scriptores aliquid serius in usum venit. Inter orationis solutae scriptores revelandi verbum legitur apud Tacitum, Suetonium et ecclesiasticorum temporis scriptores: Apuleium, Tertullianum, Hieronymum, Arnobium, Alcimium Avitum. Alc. Avit. c. Eutych. 2. p. 24. 38. sed pater meus,qui est in caelis, revelavit tibi filium, cui adhaeret in terris.

S a t a g o, - e g i, - a c t u m, 3.

2. Petr. 1. 10. Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. 2. ibid. 3. 14. Propter quod, carissimi, haec expectantes satagite immaculati.

Illud verbum quamquam iam inde a Plauto legitur, ab optimis tamen scriptoribus non est adhibitum. Plaut. Asin. 440. Prius quae credidi vix anno post exegi: Nunc satagit: adducit domum etiam ultro et scribit nummos. Illud verbum etiam apud bonae aetatis scriptores in usu fuit, tamen non apud optimos: Bell. Afr. 78. 7. Caesar alteram alam mittit, qui satagentibus celeriter ocurrerent. Verbum legitur etiam apud posterioris temporis scriptores. Petronium, Quintilianum. Petron. sat. 137. Interea haec satagens, infra manus meas camellam vini posuit. Quintilianus tamen illud vocabulum per iocum Afro tribuit: id. inst. 6. 3. 54. Afer enim venuste Mallium Suram, multum in agendo discursantem, salientem, manus iactantem, togam deiicientem et reponentem, non agere dixit, sed satagere. Quintiliano verbum insolitum visum est, nam eodem loco per iocum quasi defendere illud conatur. Est enim dictum per se urbanum, satagere, etiamsi nulla subsit alterius verbi similitudo. Etiam alio loco Quintilianus illud Afri verbum condemnat: id. inst. 11. 3. 126. Afer de Sura Mallio dixit, satagere, ineptisimum. Illud verbum in usu fuit etiam apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Cyprianum, Arnobium, Commodianum). Nonnulli etiam Ciceroni illud vocabulum tribuunt.

Tamen apud Ciceronem uno epistolarum loco non satagere, sed satis agere, praeterea seorsum exstat: Cic. Att. 4. 15. 9. Pugnatur acriter; agitur tamen satis. Merguet etiam alium epistolarum locum refert: id. Att. 15. 19. 1. sat egisse te frustra scribis. Alii tamen pro „sat egisse" „stetisse aut stitisse" ponunt.

S u b i a c e o, - c u i, 2.

Hebr. 13. 17. Obedite praepositis vestris, et subiacete eis.

Verbum apud bonae aetatis scriptores non exstat. Legitur illud inde a primo post Christum natum saeculo apud Columellam, Quintilianum, Plinium Iuniorem. Vocem adhibet etiam Apuleius, Symmachus, iurisconsulti et ecclesiastici scriptores inde a Tertulliano (cf. Lactantium, Hieronymum, Prudentium, Alcimium Avitum). Alc. Avit. c. Eutych. 2. p. 23. 16. Deus quidem non subiacet cruciatui. Verbum etiam in Inscriptionibus Latinis vulgaribus legitur. Apud Diehlium Nr. 401 (p. 37.) sibi et Ulp. Euproprie coiugi memoriolam cum ortulo sumiacente.

S u p e r i n d u o, - d u i, - d u t u m, 3.

2. Cor. 5. 2. habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes.

Illud verbum in litteris Latinis inde a Suetonio legitur. In maiorem tamen usum venit apud ecclesiasticorum temporis scriptores (cf. Tertullianum, Hilarium, Augustinum).

S u p e r v e n i o, - v e n i, - v e n t u m, 4.

1. Thess. 5. 3. tunc repentinus eis superveniet interitus.

Verbum legitur inde a bonae aetatis poetis: Vergilio, Horatio, Ovidio, Grattio. Ex orationis solutae scriptoribus primus vocem adhibet Livius. In maiorem usum illud vocabulum venit apud primi post Christum natum saeculi scriptores, velut apud Plinium Maiorem, Statium, Petronium, Celsum, Columellam, Frontinum et alios. Apud ecclesiasticorum temporis scriptores illud verbum legitur inde ab Itala (cf. Cyprianum, Tertullianum, Iustinum, Hieronymum).

T r a n s f i g u r o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 11. 13. Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. 2. ibid. 11. 15. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiae.

Vocabulum in usu fuit apud primi post Christum natum saeculi scriptores (cf. Plinium Maiorem, Senecam phil., Statium, Suetonium, Quintilianum) et apud ecclesiasticos, velut Ire-

naeum, Hieronymum, Augustinum. Transfigurare ponebatur pro vertere aliquid in alterius figuram. Apud scriptores ecclesiasticos refertur nonnumquam ad mutationem eam, quae locum habebit in altera vita.

5. De ceteris verbis.

Impersonale verbum licet in apostolorum epistolis personalium more adhibitum est. Etiam nonnulla alia verba impersonalia pro personalibus et ex contrario, personalia pro impersonalibus non solum apud posterioris temporis, sed etiam apud antiquissimos scriptores adhiberi solebant. Ennius Scenica 197. (apud Vahlenium): miserete, manus, Date ferrum, qui me anima privem. Id. Ann. 171. Cogebant hostes lacrimantes ut misererent. Plaut. Cas. 877. Ita nunc pudeo atque ita nunc paveo atque ita in ridiculo sumus ambo. Etiam posterioris temporis locus: Ven. Fort. Vita Mart. 2. 195. Si nunc paeniteas, si nunc resipiscere velles. Nonnulla impersonalia verba personaliter adhibita sunt etiam apud Pacuvium, Caelium Antipatrem, Chironem, Apuleium, Hieronymum, Theodorum Mopsuestenum, Gregorium Turonensem et alios scriptores[1]).

Garrio est illorum vulgarium verborum, quae per onomatopoeiam ab animalium sono ficta sint.

L i c e t, l i c u i t (vel licitum est), 2.

1. Cor. 10. 22. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. 1. ibid. 10. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.

In sermone communi, ut Löfstedt in Peregrinatione Aetheriae (p. 43. sq.) refert, ut personalia verba saepe impersonaliter adhibita sunt, item contra impersonalia verba personaliter. Supra laudatum impersonale verbum in litteris Latinis quamquam raro, tamen etiam apud alios scriptores legitur. Plurali numero adhibitum illud verbum invenitur etiam apud Senecam philosophum, Suetonium, Iustinum, Maximum Taurinum. Iustin. 8. 3. 12. quasi omnia quae agitasset animo ei licerent.

G a r r i o, 4.

Ioann. 3. 10. commonebo eius opera, quae facit, verbis malignis garriens in nos.

---

1) Löfstedt. Peregrinatio Aetheriae, p. 46. Bonnet. De Gregorii Turonensis Latinitate, p. 438. Goelzer. De S. Hieronymi Latinate, p. 288.

Quamquam nec Roensch neque Paucker de hoc verbo mentionem fecerunt, „Antibarbarus" vero, cum garrulare contempsit et garrire in eius verbi locum ponendum dixit, mihi tamen etiam verbum garrire vulgare esse videtur. Hoc verbum fictum est animalium vocibus imitandis. Garrire enim propria significatione est edere sonum, qualem animalia quaecumque edere solent. De hominibus igitur cum agitur, usurpatur translate ad significantiorem vim exprimendam. Illam sententiam etiam illius verbi usus confirmat. Apud Caesarem illud omnino non legitur. Cicero quamquam vocem garrire adhibet, in orationibus tamen illam non usurpat. Invenitur illa vox apud Horatium (in sat.), Martialem, Macrobium et, quod notatu dignum est, aliquoties apud Plautum et Petronium, quorum sermo praecipue vulgaris est: Plaut. Aul. 830. Soleo hercle ego garrire nugas. Petron. sat. 55. et quam in praecipiti res humanae essent, vario sermone garrimus. Apud ecclesiasticorum temporis scriptores illud verbum in magno usu fuit usque ad septimum saeculum. (Adde Venantium Fortunatum, Isidorum). Garrire Valachice nunc garí dicitur.

c) De verbis apud ecclesiasticos alia vi atque apud optimos scriptores adhibitis.

In apostolorum epistolis inveniuntur verba, quae ea significatione, qua ecclesiastici adhibebant, etiam apud scriptores ante ecclesiasticorum tempus qui vixerunt, non optimos tamen, legantur. Maior tamen huc spectantium verborum pars ecclesiasticorum significatione adhiberi coepit aut inde a Litteris Sacris, aut inde a prioribus ecclesiasticis scriptoribus ad exprimendas notiones ad religionem Christianam pertinentes.

Etiam in apostolorum epistolis, similiter atque apud multos posterioris temporis scriptores, discrimen inter activa, passiva et deponentia verba nonnumquam aliter atque apud optimos scriptores sentiebatur. Consolor apud optimos scriptores deponens verbum est, apud ecclesiasticos quidem etiam passive adhibetur. Dignor apud bonae aetatis poetas et posterioris temporis scriptores verbum deponens est, apud Ciceronem vero illud verbum et forma, et significatione aut activum, aut passivum est. Verbum infirmo apud optimos scriptores activa, apud ecclesiasticos autem saepius passiva forma et intransitivorum

more usurpatur. Emano apud optimos scriptores intransitivorum, apud ecclesiasticos quidem transitivorum more adhibetur. Sustinere apud optimos scriptores transitive, apud Martialem quidem, Hyginum et multos scriptores ecclesiasticos intransitive usurpatur.

Non solum composita, quorum prior compositionis pars praepositio est, apud posteriores saepe eadem valent ac simplicia, sed etiam simplicia compositorum significatione adhibentur. Surgo enim apud ecclesiasticos pro resurgo poni solet.

In apostolorum epistolis leguntur etiam verba, quae apud optimos scriptores translata significatione in usu fuerint, apud ecclesiasticos quidem illa significatione, in qua natum est verbum, denuo adhiberi coeperint. Initiare enim apud Ciceronem est ad sacra praeparare, apud ecclesiasticos vero est initium capere, quae vera atque propria illius verbi significatio est. Huc spectare posset etiam aliquid dubiae originis verbum castigo, si illud re vera ab adiectivo castus factum esset. Apud Ciceronem enim castigo est punio, reprehendo, apud ecclesiasticos vero est castum reddo. Ecclesiastica igitur significatio esset illa, in qua illud verbum natum sit.

Abscindo, -scidi, -scissum, 3.

Gal. 5. 12. utinam et abscindantur, qui vos conturbant.

Abscindere propria vi est scindendo separare, dividere, abrumpere. Propria significatione etiam Cicero illa voce est usus. Translate autem abscindere est discernere, separare, tollere, abicere. Translata significatione verbum adhibet Horatius, Seneca philosophus, Valerius Maximus, iurisconsulti et scriptores ecclesiastici usque ad septimum saeculum (cf. Irenaeum, Hilarium, Leonem Magnum, Cassiodorum, Gregorium Magnum).

Acquiesco, -evi, -etum, 3.

Rom. 2. 8. Iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati . . . . . ira et indignatio. 1. Tim. 6. 3. Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi.

Quiescere proprie est quieti se dare, quiete corpus recreare. Vis propria tamen per saecula rarescit nec servatur nisi de mortuis. Inde ab auctore Belli Africani apud Suetonium, Senecam phil., iurisconsultos et scriptores ecclesiasticos acquiescere idem fere valet ac convivere, adsentire, oboedire alicui et coniungitur

cum dativo. Bell.Afric. 10. 5. Huic (imperatori) acquiescebant homines et in eius scientia et consilio omnia sibi proclivia omnes fore sperabant. In Vulgata etiam obedire exstat, ubi in Itala acquiescere: Itala Hebr. 13. 17. adquiescite principibus vestris, in Vulgata autem: obedite praepositis vestris.

A e d i f i c o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 8. 10. nonne conscientia eius, cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta? 1. ibid. 10. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant. 1. ibid. 8. 1. Scientia inflat, charitas vero aedificat. 1. Thess. 5. 11. Propter quod consolamini invicem et aedificate alterutrum.

Illud verbum apud scriptores Christianos saepe alia vi atque apud ethnicos adhibetur. Apud ecclesiasticos enim aedificare idem fere valet ac firmare, corroborare, augere, vel firmare in fide, promovere ad fidem, virtutem. Posteriorem significationem etiam Goelzer in suo libro de Hieronymo (p. 235.) animadvertit, ubi Georgem in suo indice verborum oblitum esse de hac verbi significatione referre dicit. Ecclesiastica significatione illud verbum adhibet Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus et nonnulli alii ecclesiasticorum temporis scriptores.

A e m u l o r, - a t u s s u m, 1.

Rom. 11. 14. Si quando ad aemulandum provocem carnem meam. 1. Cor. 10. 22. An aemulamur Dominum? 1. ibid. 13. 4. Charitas non aemulatur, non agit perperam. 2. ibid. 11. 2. Aemulor enim vos Dei aemulatione. Adde etiam 1. ibid. 12. 30.

Aemulari proprie est imitari vel imitando studere alterum adaequare aut superare. Apud ecclesiasticos aemulor est irascor, studeo, quod Graece ζηλῶ dicitur. Ecclesiastica significatione illud vocabulum legitur apud Tertullianum, Lactantium, Hieronymum, Augustinum.

C a s t i g o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 9. 27. Sed castigo corpus meum et in servitutem redigo.

Castigare apud scriptores ecclesiasticos est castum reddere. Ecclesiastica significatione vocabulum legitur inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf. Augustinum, Ennodium, Cassiodorum, Isidorum). Apud Ciceronem castigo est punio, coerceo, reprehendo.

C i r c u m f e r o, - t u l i, - l a t u m, - f e r r e.

Ephes. 4. 14. Ut iam non simus parvuli fluctuantes, et cir-

cumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum. Iud. 12. nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur. Jac. 1. 6. qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur. Ibid. 3. 4. naves . . . . . circumferuntur a modico gubernaculo. 2. Cor. 4. 10. mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.

Circumferendi verbum legitur inde a Plauto passim, Caesar illam vocem non adhibet, apud Ciceronem tamen etiam in orationibus legitur. A nobis laudatis tamen locis illud verbum aliam habet vim atque apud Ciceronem. Passivum circumferri est i. q. fluctuare, plerumque in imagine. Huc spectant quattuor priores laudati Vulgatae loci. Eadem significatione adhibitum verbum legitur etiam apud Hieronymum, Rufinum, Augustinum et nonnullos alios scriptores ecclesiasticos. In postremo e supra laudatis locis circumferre est i. q. secum portare, habere. Eadem significatione adhibita vox legitur apud Senecam phil., Suetonium, Apuleium, Tertullianum, Augustinum, Dionysium Exiguum, in Codice Iustiniano et alicubi. Aug. civ. 17. 4. in hac quippe vita suam terram quisque circumfert.

Communico, -avi, -atum, 1.

Philipp. 4. 15. nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati, et accepti. Petr. 1. 4. 13. Sed communicantes Christi passionibus gaudete.

Illud verbum saepe legitur apud optimos Latinos scriptores. Apud ecclesiasticos tamen et in Vulgata illud aliter coniungitur aut aliam significationem habet. Communicare apud Ciceronem, ut docet Roensch (Itala et Vulgata, p. 354.), est profanare, polluere, i. q. apud Graecos scriptores ecclesiasticos κοινοῦν dicitur. Ea significatione communicandi verbum etiam apud Tertullianum, Hieronymum et alios ecclesiasticos adhibetur. Goelzer in suo libro de Hieronymo (p. 239.) huius vocis usum egregie disseruit et duabus a Roenschio omissis significationibus additis Roenschium correxit pleniusque explicavit, quam vim ac potestatem illa vox haberet et quomodo illa coniungeretur. Communicare enim etiam intransitive adhibetur et est commercium habere alicui et coniungitur cum dativo. Huc spectant duo supra laudati loci. Eadem significatione illud verbum legitur etiam apud Tertullianum, Cyprianum, Luciferum, Hieronymum. Communicare est etiam i. q. Francogallice „communier“ dicitur, cum de Christianorum mensa dominica agitur. Hier. epist. 48. 15. 6.

ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant. Eadem vi etiam multi alii scriptores verbum adhibent, velut Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Sulpicius Severus, Gregorius Turonensis et alii.

Confundo, -fudi, -fusum, 3.

Rom. 5. 5. Spes autem non confundit. Ibid. 9. 33. et omnis, qui credit in eum, non confundetur. Ibid. 10. 11. Omnis, qui credit in illum, non confundetur. 1. Cor. 1. 27. Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Etiam 1. ibid. 4. 14., 2. ibid. 7. 14., Gal. 4. 20. et alicubi frequenter.

Confundere apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala est aliquem ignominia afficere, pudore suffundere. Vocabulum illa vi adhibitum in usu fuit apud Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Orosium, Cassiodorum et multos alios usque ad septimum saeculum. Praterea exstat etiam in inscriptionibus Christianis.

Consolor, -atus sum, 1.

Rom. 1. 12. Id. est, simul consolari in vobis per eam, quae invicem est fidem vestram, atque meam. 2. Cor. 7. 13. ideo consolati sumus. Adde 2. ibid. 2. 7., 1. Thess. 3. 7.

Deponens consolandi verbum apud scriptores ecclesiasticos saepe passiva significatione usurpatur (cf. Tertullianum, Augustinum, Gregorium Turonensem et alios). Eadem significatione illud verbum etiam ante ecclesiasticorum tempus legitur; nonnulli scriptores etiam activam formam adhibent inde a Varrone usque ad septimum saeculum (cf. Gregorium Turonensem). Varro Menipp. 347 (apud Rieseium p. 178. 4.). Per idem tempus Oedipus Athenas exul venire dicebatur, qui consolaret. Passiva significatione verbum iam inde a Gellio legitur.

Consurgo, -surrexi, -surrectum, 3.

Coloss. 3. 1. Igitur, si consurrexistis cum Christo.

Verbum inde a Varrone legitur apud multos scriptores Latinos, etiam apud optimos, ut apud Ciceronem et Caesarem. Apud nonnullos tamen scriptores Christianos et in Vulgata illud verbum aliquando etiam alia significatione adhibetur. Apud ecclesiasticos significatione morali dicitur de iis, qui de vitiorum caeno surgunt vitam in melius commutantes Christi gratia. Non solum Roensch, sed etiam Goelzer et Paucker de illius verbi ecclesiastica significatione mentionem non fecerunt.

D e s t r u o - u x i, - u c t u m, 3.

Rom. 3. 31. Legem ergo destruimus per fidem?

Destruo proprie est, quod structum erat, corrumpo, demolior, diruo. Hac significatione verbum legitur apud Ciceronem: id. Cato 72. Ut navem, ut aedificium, idem destruit facillime, qui construxit. Translata significatione hoc verbum inde a Livio legitur; Liv. 34. 3. Si, quod cuiquam privatim obficiet ius, id destruet ac demolietur. Translata vi verbum legitur etiam apud Velleium, Curtium, Petronium, Quintilianum, Tacitum, Tertullianum, Hieronymum. Petronius significatione translata verbum adhibens quasi postulat, sibi ut ignoscatur: Petron. sat. 100. sed repente quasi destruente fortuna constantiam meam. Alio tamen Petronii saturarum loco iam sine „quasi" legitur: id. sat. 121. destruet istas idem, qui posuit, moles deus. Hoc tamen loco destruere magis propria, quam translata vi adhibitum est.

D i g n o r, - a t u s s u m, 1.

2. Thess. 1. 11. In quo etiam oramus, semper pro vobis: ut dignetur vos vocatione sua Deus noster.

Apud Pacuvium, Accium, Calvum, illos antiquissimos Latinos scriptores, hoc verbum legitur tantum aut activa aut passiva et forma et significatione. Caesar illud verbum omnino non adhibet, Cicero autem in orationibus illo non est usus, in ceteris litteris usus est aut activa aut passiva et forma et significatione, nullo tamen loco hoc verbum deponentium more adhibet. Cic. 3. de orat. 7. Natura nulla est, quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur. Deponentium more illud verbum poetae primi adhibuerunt (cf. Ovidium, Horatium, Vergilium). Apud orationis solutae scriptores deponentium more verbum in usum venit posteriore aetate (cf. Curtium, Columellam, Tacitum, Suetonium, Gellium).

D o r m i o, - i v i, - i t u m, 4.

1. Cor. 7. 39. vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est. 1. ibid. 15. 6. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul; ex quibus multi manent usque adhuc: quidam autem dormierunt. 1. ibid. 15. 18. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.

Apud scriptores ecclesiasticos illud verbum usurpatur, cum significantius de somno mortis agitur. Illa tamen significatione vocabulum iam apud Plautum exstat: id. Amphitr. 1. 1. 157.

Quid si ego illum tractim tangam, ut dormiat? Etiam apud Catullum eadem significatione exstat: id. 5. 6. Soles occidere et redire possunt: Nobis cum semel occidit brevis lux, Nox est perpetua una dormienda.

E m a n o, - a v i, - a t u m, 1.

Jac. 3. 11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam.

Emanare apud bonos scriptores est effluere, exire, nasci, vulgari, diffundi. Transitivorum more verbum optimi scriptores non adhibent. Supra laudato Vulgatae loco illud verbum transitiva significatione adhibitum est. Transitive adhibitum verbum etiam apud Cassiodorum legitur. id 8. Var. 33. 5. Ubi in modum naturalis antri apsidis fabricata concavitas sic perspicuos liquores emanat. Tribuitur etiam Plinio Maiori: id. 23. 34. 1. (Succus olearum) utilis saniem emanantibus. Alii tamen et sanie manantibus legunt.

I n f i r m o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Cor. 11. 29. Quis infirmatur, et ego non infirmor. 2. ibid. 12. 10. Cum enim infirmor, cum potens sum. Rom. 4. 19. Et non infirmatus est fide. Ibid. 14. 21. frater tuus offenditur aut scandalizatur, aut infirmatur. Adde Philipp. 2. 26., ibid. 2. 27.

Infirmare apud ethnicos scriptores, etiam optimos, est infirmum reddere, etiam confutare, dissolvere. Apud scriptores ecclesiasticos verbum adhibetur saepius passiva forma et ponitur pro aeger sum, aegroto. Ecclesiastica significatione vocabulum legitur apud Cyprianum, Sulpicium Severum.

I n i t i o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 10. 20. Quam initiavit nobis viam novam.

Initiare proprie est initium capere, incipere. Optimi Latini scriptores illa significatione verbum admodum non adhibent. Illa significatione, in qua natum est vocabulum, legitur apud Tertullianum, Cyprianum, Hilarium, Firmicium, Ennodium et apud iurisconsultos. Huc spectat etiam supra laudatus Vulgatae locus. Apud Ciceronem quidem initiare est ad sacra praeparare, sacris imbuere.

O f f e r o, - t u l i, - l a t u m, - f e r r e.

Hebr. 5. 1. ut (Pontifex) offerat dona, et sacrificia pro peccatis. Ibid. 13. 15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo. 1. Petr. 2. 5. offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo.

Apud scriptores ecclesiasticos offerre est donare, consecrare Deo, vel ecclesiae. Significatione ecclesiastica verbum legitur inde a Cypriano et Tertulliano usque ad sextum saeculum (cf. Prudentium, Sulpicium Severum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. hom. 14. p. 123. 5. qui immolandum filium iussus offerre viriliter praesumpsit.

Ordino, -avi, -atum, 1.

Rom. 13. 1. Non est enim potestas, nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.

Ordinare proprie est disponere, componere, qua significatione verbum etiam apud Ciceronem legitur. Supra laudati Vulgatae loci significatio aliquid differt ab illa, in qua natum est vocabulum. Hic ordinare est regere, constituere, ut illud Suetonii: id. Jul. 76. Eadem licentia spreto, patrio more, magistratus in pluris annos ordinavit. Eadem vi vox legitur etiam apud Florum, Senecam phil. et alios. Ordinare apud nonnullos scriptores ecclesiasticos est etiam clericos ad ordines sacros promovere.

Praedico, -avi, -atum, 1.

Philipp. 1. 15. quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant. 1. Thess. 2. 9. Praedicavimus in vobis Evangelium Dei. 1. Petr. 3. 19. et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit. Adde 1. Cor. 1. 23., 1. ibid. 9. 18., 1. Thess. 2. 9., 1. Cor. 9. 27., Col. 1. 23.

Significatione ecclesiastica praedicare est Evangelium sive doctrinam Christi enuntiare. Illa vi verbum adhibuerunt: Tertullianus, Lactantius, Sulpicius Severus, Hieronymus, Alcimius Avitus.

Reconcilio, -avi, -atum, 1.

Rom. 5. 10. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filli eius; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Coloss. 1. 22. Nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem. Adde ibid. 1. 21., 2. Cor. 5. 18.

Reconciliare significatione Christianorum scriptorum propria est creaturam cum Creatore componere, sublato per Christi redemptionem peccato (adde Hieronymum).

Recumbo, -ubui, -ubitum, 3.

1. Cor. 8. 10. qui habet scientiam, in idolio recumbentem.

Recumbere proprie est retro cubere, iacere. Illa significatione, in qua est natum, verbum non est vulgare, nam legitur

saepe in Ciceronis scriptis, etiam in orationibus. Translata significatione, cum de rebus inanimis agitur, verbum legitur apud Vergilium, Martialem, Alcimium Avitum. Verg. Georg. 1. 401. At nebulae magis ima petunt campoque recumbunt. Supra laudato Vulgatae loco illud verbum etiam magis translatam vim habet, nam de scientia agitur, quod nomen est abstractum non solum de rebus inanimis, sed etiam de quacumque materia.

R e d i m o, - e m i, - e m p t u m, 3.

1. Petr. 1. 18. non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis. Gal. 3. 13. Christus nos redemit de maledicto legis. Tit. 2. 14. ut nos redimeret ab omni iniquitate.

Apud scriptores ecclesiasticos redimere est liberare a peccato et captivitate daemonis pretio sanguinis Christi (cf. Cyprianum, Tertullianum, Augustinum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. carm. 2. 27. Angelicae qualis narratur gloria vitae Sidereas habitare domos qualemque redemptis spondet reddendam mortis post tempora Christus.

R e f r i g e r o, - a v i, - a t u m, 1.

2. Tim. 1. 16. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia saepe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit. Rom. 15. 32. Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum.

Refrigerare proprie est rem calidam frigidam facere. Apud scriptores ecclesiasticos refrigerare est solacium praebere, recreare, consolari. Significatione ecclesiastica vocabulum legitur inde a Tertulliano (cf. Irenaeum, Ambrosium, Augustinum).

R e m i t t o, - m i s i, - m i s s u m, 3.

Rom. 4. 7. Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Ephes. 6. 9. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas.

Ignoscendi significatione remittere legitur apud Sallustium et Valerium Flaccum. Huc spectare videtur illud Ephes. 6. 9. Priore laudato Vulgatae loco de „remissione peccatorum“ significatione ecclesiastica agitur. Eadem significatione verbum exstat etiam apud Hieronymum, Alcimium Avitum. Alc. Avit. c. Eutych. 1. p. 18. 11. Si solus Deus, quid excuset sibimet, quod sufficit remisisse?

R e n o v o, - a v i, - a t u m, 1.

Hebr. 6. 6. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illu-

minati ..... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam. 2. Cor. 4. 16. tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Coloss. 3. 10. Et induentes novum (hominem), eum, qui renovatur in agnitionem. Ephes. 4. 23. Renovamini autem spiritu mentis vestrae.

Renovare proprie est novum facere, instaurare, redintegrare. Apud scriptores ecclesiasticos tamen illud verbum significatione spirituali usurpatur. Renovandi verbum adhibetur, cum agitur de iis, qui in Christo regenerantur, aut qui regenerati in virtutibus proficiunt. Ven. Fort. 8. carm. 1. 45. obsequio Martam renovat; id. 9. carm. 1. 132. ut renoveris avus.

R e p u t o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 4. 22. Ideo et reputatum est illi ad iustitiam. Ibid. 4. 11. ut reputetur et illis ad iustitiam. Ibid. 4. 24. Sed et propter nos: quibus reputabitur credentibus in eum. Adde Jac. 2. 23., Rom. 4. 9., 2. Cor. 5. 19.

Apud optimos scriptores, velut apud Ciceronem, reputare est rationem inire, computare, cogitare. Apud scriptores ecclesiasticos reputare est imputare, attribuere, saepius est imputare, attribuere tum in bonam, tum in malam partem. Alc. Avit. epist. 7. p. 36. 10. et nobis etiam post mortem gravandis ad peccatum reputabitur. Ven. Fort. carm. praef. 5. 5. 2. vobis reputari nescio magis an tempori.

S e d u c o, - x i, - c t u m, 3.

1. Joann. 2. 26. Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos. Gal. 6. 3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. 1. Joann. 1. 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus. 1. Cor. 3. 18. Nemo se seducat. Adde Rom. 7. 11. et alicubi.

Seducere illa significatione, in qua natum est verbum, est seorsum ab aliis ducere, seponere, dividere. Propria significatione verbum non est vulgare, nam etiam Cicero illud adhibet. Apud posterioris temporis scriptores seduco est decipio, depravo, corrumpo. Illa significatione verbum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Augustinum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. carm. 5. 55. Sed vestras nimium seducunt otia mentes. Sunt, qui seducendi verbum decipiendi significatione etiam Terentio, Quintiliano et Tacito tribuant. Alii tamen illos locos aliter legunt.

Sortior, -itus sum, 4.

2. Petr. 1. 1. qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia.

Sortior proprie est sortes duco, in sortem conicio. Propria significatione verbum etiam Cicero usurpat. Apud nonnullos tamen scriptores inde ab Horatio et Ovidio, apud orationis solutae scriptores inde a Livio sortiri est etiam aliquid nancisci. Eadem significatione verbum legitur apud primi post Christum natum saeculi scriptores, velut apud Columellam, Suetonium, Juvenalem et alios. Eadem significatione verbum legitur etiam apud iurisconsultos et in Inscriptionibus Latinis.

Subditus, -a, -um.

Ephes. 5. 22. Mulieres viris suis subditae sint. 1. Petr. 2. 18. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, et modestis, sed etiam dyscolis.

Subditus est verbi subdere participium, adiectivorum more etiam adhibitum. His locis subditus est subiectus imperio aut dominio alterius, parens. Hac significatione verbum legitur apud Tibullum: id. 4. 1. 67. ut inferno Plutonis subdita regno Magna deûm proles legibus discurreret umbris. Etiam apud Persium eadem significatione verbum adhibetur: Pers. 5. 124. „Liber ego". Unde datum hoc sentis, tot subdite rebus? An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat? Eadem significatione illud verbum optimi Latini scriptores non usurpaverunt. Etiam Ruhnken contra Muretium, qui „subditus legi" scripsit, dicit: Magis Latine scripsisset subiectus legi: nam subditus pro parens melior aetas ignorat.

Supporto, -avi, -atum, 1.

2. Cor. 11. 1. Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae, sed et supportate me. Ephes. 4. 2. Cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, sup(p)ortantes invicem in charitate. Coloss. 3. 13. Supportantes invicem, et donantes vobismetipsis.

Supporto proprie est subinde porto, subveho, importo. Illa significatione, in qua est natum, verbum quamquam apud Ciceronem abest, legitur tamen aliquoties in commentariis de bello civili, semel etiam in belli Gallici commentariis: id. Gall. 1. 39. 6. aut rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant. Apud scriptores ecclesiasticos tamen supportare est sublevare, sustentare (cf. Hieronymum, Venantium Fortuna-

tum). Ven. Fort. carm. 5. 2. 47. Subportante manu trahit ipse ad pabula Christi.

Surgo, surrexi, surrectum, 3.

Rom. 6. 4. ut quomodo Christus surrexit a mortuis. 1. Cor. 15. 42. Sic et resurrectio mortuorum, seminatur in corruptione, surget in incorruptione.

Apud scriptores ecclesiasticos surgere ponitur pro resurgere, revivescere. Illa significatione vocabulum legitur passim apud scriptores ecclesiasticos et in Inscriptionibus Christianis (cf. Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum). Alc. Avit. carm. 6. 223. Praebuit exemplum surgens a morte redemptor.

Sustineo, - tinui, - tentum, 2.

2. Tim. 2. 12. Si sustinebimus, et conregnabimus.

Apud Martialem, Hyginum et multos ecclesiasticorum temporis, praesertim ecclesiasticos scriptores, sustinere ponitur pro manere, μένειν. Mart. 9. 3. 13. Exspectes et sustineas, Auguste, necesse est. Eadem vi verbum adhibuit etiam Cyprianus, Tertullianus, Ambrosius, Hilarius, Augustinus et alii.

d) De verbis Graecis.

Fere omnia in apostolorum epistolis adhibita verba Graeca in litteras Latinas recepta sunt tantummodo inde ab ecclesiasticis scriptoribus ad exprimendas notiones ad novam religionem pertinentes. Tantum citharizo, moechor et psallo iam inde a bonae aetatis, non ab optimis tamen, scriptoribus leguntur.

Plus dimidium huc spectantium verborum in - izare exitum habet. Sunt praeterea aliter exeuntia verba, quae etiam alteram in izare vel - issare formam habeant, velut cauterio, moechor, propheto, quorum alterae etiam magis usurpatae formae cauterizo, moechisso, prophetizo sunt.

In - izo exeuntibus verbis Latinis maxima ex parte in - ίζω cadentia verba Graeca translata sunt. Nonnullis tamen huc spectantibus verbis Latinis transferebantur aliter, praesertim in -έω exeuntia verba Graeca, quae etiam alteram in - ίζω exitum habentem formam, eamque minus usitatam habere solebant. Sunt, quae etiam omnino in - ίζω exeuntibus formis caruerint. Usitatissimum nostrum catechizandi verbum ad Grae-

cum κατηχέω formatum esse videtur, nam κατηχίζω verbi usurpationis aliqua tantummodo vestigia quasi indicari possunt. Prophetizo ad Graecum verbum προφητεύω formatum est, nam προφητίζω legitur tantum uno, eoque dubio loco. In Hippocratis Praedictorum enim libro secundo Schaefer illum locum προφητίζοντα ,alii tamen προφητάζοντα legunt. Praeterea nonnulla Graeca deponentia verba activis transferebantur, velut Graecum εὐαγγελίζεσθαι verbo evangelizare (A. Funck, Arch. III. p. 403.).

A p o r i o r, - a t u s s u m, 1.

2. Cor. 4. 8. In omnibus tribulationibus patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur.

Illud verbum, a Graeco ἀπορεῖσθαι fictum, legitur apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala (cf. Hilarium, Irenaeum, Gaudentium, Maximum Taurinum, Laurentium et alios).

B a p t i z o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 1. 16. Baptizavi autem, et Stephanae domum: caeterum nescio, si quem alium baptizaverim. 1. ibid. 1. 17. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. 1. ibid. 10. 2. Et omnes in Moyse baptizati sunt. Adde 1. ibid. 1. 13., 1. ibid. 1. 14. 1. ibid. 1. 15. et alicubi frequenter.

Illud Graecum verbum legitur passim apud scriptores ecclesiasticos inde ab Itala (cf. Tertullianum, Augustinum, Avellium, Sedulium, Alcimium Avitum et alios). Alc. Avit. epist. 4. p. 31. 15. Nam si baptizatus aut etiam translatus ab Haeresi quilibet parvulus... fine rapiatur. Verbum etiam in linguas novicias transiit. Baptizare Francogallice baptiser, Italice batteggiare, Hispanice batear, vetere Francogalliae lingua batoyer, Anglosaxice batager dicitur.

B l a s p h e m o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 4. 13. Blasphemamur et obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus. Iud. 8. dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant. Jac. 2. 7. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen. Adde Rom. 3. 8., 1. Cor. 10. 30.

Verbum e Graeca lingua sumptum imprimis in Itala, hinc passim legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf. Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Orosium, Alcimium Avitum, Gregorium Turonensem). Illud verbum in linguas novicias e lingua Latina ortas transiit. Valachice enim blastema, veteriore Italiae lingua bias-

timare, Francogallice blâmer, Hispanice lastimar dicitur.

Catechizo, -avi, -atum, 1.

Gal. 6. 6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.

Verbum legitur inde ab Itala et Tertulliano usque ad sexti saeculi exitum. Vocabulo est usus Hieronymus, Augustinus, Fulgentius Ruspensis, Cassiodorus.

Cauterio, 1.

1. Tim. 4. 2. In hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam.

Illud Graecum verbum legitur apud posterioris temporis scriptores, velut apud Vegetium, Chironem, Irenaeum, Luciferum, Hieronymum, Augustinum, Facundium.

Citharizo -avi, -atum, 1.

1. Cor. 14. 7. quomodo scietur, quod canitur, aut quod citharizatur?

Illud e lingua Graeca sumptum verbum legitur iam inde a Cornelio Nepote. Id. Epam. 2. 1. Nam et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio. In aliquid maiorem tamen usum venit tantum inde ab Itala apud ecclesiasticos scriptores (cf. Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum).

Colaphizo, -avi, -atum, 1.

2. Cor. 12. 7. datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae, qui me colaphizet. 1. Petr. 2. 20. Si peccantes et colaphizati suffertis.

Illud Graecum verbum ante ecclesiasticorum scriptorum tempus in litteris Latinis in usu non fuit. Venit in usum inde ab Itala et Tertulliano apud scriptores ecclesiasticos et medicos (cf. Irenaeum, Augustinum, Fulgentium Ruspensem). Colaphus tamen, nomen substantivum, ex quo illud verbum est formatum, iam inde a Plauto legitur, adhibet Petronius et alii, etiam in linguas novicias transiit (Italice colpo, Francogallice coup dicitur).

Evangelizo, -avi, -atum, 1.

Rom. 1. 15. Ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romae estis, evangelizare. Gal. 1. 23. Quoniam, qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem. 1. Petr. 4. 6. Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est. Gal. 1. 8. aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis. Adde Rom. 10. 15.

Evangelizandi verbum in litteris Latinis legitur apud scriptores ecclesiasticos, praesertim tertii et quarti saeculi inde a Litteris Sacris (cf. Tertullianum, Hieronymum, Rufinum).

I u d a i z o, 1.

Gal. 2. 14. Si tu, cum Judaeus sis, gentiliter vivis, et non Iudaice: quomodo Gentes cogis Iudaizare?

Illud verbum legitur apud scriptores ecclesiasticos, velut apud Commodianum, Marium Victorinum, Hieronymum. Iudaizare est Iudaeorum ritus ac mores sequi.

M o e c h o r, - a t u s s u m, 1.

Jac. 2. 11. Quod si non moechaberis, occides autem, factus es transgressor legis. Rom. 2. 22. Qui dicis non moechandum, moecharis.

Illud e lingua Graeca sumptum vocabulum in litteris Latinis legitur iam apud bonae aetatis poetas: Catullum, Horatium, optimi tamen scriptores illo non sunt usi. Moechus autem,nomen substantivum, a quo illud verbum derivatum est, iam inde a Plauto legitur: Plaut. Mil. 3. 1. 180. Herus meus ita magnus moechus mulierum est. Moechandi verbum in litteris Latinis rarum est. Legitur etiam apud Martialem.

P r o p h e t o, - a v i, - a t u m, 1.

1. Cor. 11. 4. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. 1. ibid. 14. 4. qui autem prophetat, Ecclesiam Dei aedificat.

Vox e lingua Graeca sumpta et adhibita ab ecclesiasticis scriptoribus inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum (cf. Commodianum, Prudentium, Augustinum, Venantium Fortunatum). Ven. Fort. V. Mart. 2. 436. inclita signa gerens et multa futura prophetans.

P s a l l o, 3.

Jac. 5. 13. Tristatur aliquis vestrum, oret: Aequo animo est, psallat. Ephes. 5. 19. cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. 1. Cor. 14. 15. Psallam spiritu, psallam et mente.

Hoc Graecum verbum apud optimos Latinos scriptores non legitur, nisi uno dubio loco apud Ciceronem: id. Catil. 2. 10. Hi pueri tam lepidi ac delicati non solum amare, et amari, neque cantare et psallere, sed etiam sicas vibrare et spargere venena didicerunt. Tamen plerique alii „saltare" legunt. Verbum invenitur apud Horatium, Sallustium, Apuleium, Caesium Bassum, Gellium et alios. Apud scriptores ecclesiasticos psallere est

Psalmos David, quae sunt laudes Dei, canere; item universim quocumque cantu celebrare, extollere. Legitur apud Tertullianum, Hieronymum, Augustinum, Alcimium Avitum. Alc. Avit. carm. 5. 705. Inclitus egregium sollemni carmine ductor Describit factum, toto quod psallitur orbe.

S c a n d a l i z o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 14. 21. neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.

Illud Graecum verbum legitur apud scriptores ecclesiasticos inde a Tertulliano (cf. Hilarium, Rufinum, Cassianum, Sulpicium Severum).

T h e s a u r i z o, - a v i, - a t u m, 1.

Rom. 2. 5. Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei. 2. Cor. 12. 14. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare.

Hoc Graecum verbum non legitur, nisi apud scriptores ecclesiasticos (cf. Hieronymum, Salvianum, Augustinum). Thesaurizare est thesaurum colligere et reponere.

Z e l o, - a v i, - a t u m, 1.

Jac. 4. 2. Concupiscitis, et non habetis: occiditis et zelatis.

Illud Graecum verbum in litteris Latinis in usu non fuit, nisi apud ecclesiasticorum temporis scriptores inde a Tertulliano usque ad septimum saeculum. Vocabulo est usus Irenaeus, Hieronymus, Augustinus, Sulpicius Severus, Venantius Fortunatus. Ven. Fort. carm. 1. 16. 89. Zelante fido pectore Tam vera dici non pudet.

CONCLUSIO.

Vocibus vulgaribus, quae in apostolorum epistolis inveniuntur, relatis et proprietatibus illarum vulgaribus, quantum nostra valebat infirmitas, expositis progrediamur ad apostolorum epistolas cum reliqua Vulgatae parte comparandas. Apostolorum epistolae sunt a Hieronymo retractatorum Italae librorum, qui sermonis vulgaris proprietatum abundantia totae Litterarum Sacrarum editionis vulgatae medium locum obtineant.

Substantivi urbs usus praeclare docet Litterarum Sacrarum vulgatae editionis sermonem re vera variare. In prima Vulgatae parte, quae proprie immutata Itala est, bis tantummodo legitur substantivum urbs, idque modo in illo „ab urbe Roma", in Novo Testamento, quod a Hieronymo retractata Itala est, ter, in translata quidem Litterarum Sacrarum parte etiam 366-ies. Eadem differentia lucet etiam ex usu substantivi oppidum, quod tantummodo in translata ab Hieronymo Litterarum Sacrarum parte, in eaque 44-ies ad mutandum cum frequentissimo vocabulo civitas adhibetur. Illud vocabulum Hieronymus ex antiquissimis litteris sumpsit, nam non solum in immutata aut retractata Vulgata, ubi occasio usurpandi non deerat, sed etiam omnino tunc ab usu remota vox fuit, nam etiam in ortis e lingua Latina noviciis linguis illius vocis aliqua vestigia absunt.

Substantivum mas non solum in apostolorum epistolis, sed etiam in tota immutata ab Hieronymo relicta et retractata Itala omnino abest. Illius substantivi loco aut masculus, aut masculinus usurpatur. Etiam illud substantivum ex usu remotum esse videtur, nam multos casus similes ac substantivum mare habet. Praeterea sermo vulgaris voces breves contemnebat. In diligentius ab Hieronymo elaborata tertia Vulgatae parte illud vocabulum 11-ies legitur. Etiam Hieronymus non omnes illius substantivi formas adhibet. Apud eum enim praeter bis adhibitam formam maribus tantummodo quae a substantivo mare differant formae leguntur: Gen. 34. 24. circumcisis cunctis maribus; 2.

paral. 31. Exceptis maribus ab animis tribus. Praeter formam marem, quae semel legitur, octies mares adhibet: Levit. 3. 1. et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam. Gen. 17. 23. Tulit autem Abraham cunctos mares ex omnibus viris domus suae.

Pro substantivo improperium, quod similiter ac verbum improperare in duabus prioribus Vulgatae partibus et omnino in ecclesiastico sermonis usu frequens est, in diligentius atque accuratius elaboratis libris Hieronymus utitur opprobrii substantivo, quod non tam vulgare videbatur. Cum in apostolorum epistolis, tum etiam in aliis litteris Hieronymus adhibet singulari numero substantivum angustia (etiam angustiae apud eum legitur), altare. Illae voces ex eius temporis sermone sumptae sunt.

Etiam vulgarium adiectivorum et verborum usu ab Hieronymo retractata Litteratum Sacrarum pars medium locum totae Vulgatae tenet. "Απαξ λεγόμενα, ut illa Graeca voce utar, velut accensibilis in Hebr. 12. 18., in retractata ab Hieronymo parte rariora, quam in immutata Itala sunt. Ab Hieronymo translata tamen pars etiam magis differt ab aliis partibus, quam illae inter se. Saepe quae et in prima et in secunda Vulgatae parte legantur adiectiva et verba in translata omnino absunt. In prioribus tantummodo duabus Vulgatae partibus adhibetur compositum adiectivum coaequalis et verba adaperio, collaudo, defraudo, demoror. In tertia Vulgatae parte pro illis compositis vocabulis simplicia leguntur. Etiam duarum priorum partium renovandi verbi loco simplex novare adhibetur. In duabus prioribus partibus primitivum haerendi verbum omnino abest, quamquam haesitandi saepius legitur, in tertia quidem parte tantummodo haerendi exstat.

In duabus prioribus Vulgatae partibus frequentius in - bilis exeuntia adiectiva inveniuntur. Pro vulgari adiectivo odibilis (Tit. 3. 3.) adiectivum odiosus in melius elaborata parte Hieronymus adhibere maluit. Adiectivum impossibile, quod posterioribus temporibus frequenter usurpandum fuit et in linguas novicias transiit, Italice enim impossibile, Francogallice impossibile dicitur, in prima parte quinqies, in secunda 12-ies, in tertia quidem tantummodo uno loco, eoque passiva modo significatione adhibitum est: Dan. 4. 6. et omne sacramentum non est impossibile tibi. Adiectivum corruptibilis tantummodo in prioribus dua-

bus Vulgatae partibus legitur, item etiam vulgare adiectivum insensatus in eisdem modo Vulgatae partibus invenitur.

Item vulgare verbum minorare in tertia Vulgatae parte omnino non est adhibitum. Vulgaria in - ficare exeuntia verba in tertia parte rariora sunt. Honorificandi enim verbum in prima parte sexies, in secunda 18-ies, in tertia tantummodo semel invenitur in illo Judith 12. 12. Ille tamen liber similiter atque liber Tobias minime diligenter ab Hieronymo elaboratus est, nam illis libris transferendis Iudaeorum viri docti, qui Hebraice sciebant, longius praesto non fuerunt. Liber Tobias uno tantummodo die translatus est.

Manducandi verbum in prima parte 10-ies, in secunda 147-ies, in tertia quidem 14-ies adhibitum est. Ex adhibitis in tertia parte locis novem tamen minime diligenter elaboratorum librorum Tobias et Judith sunt: Tob. 2. 5., 3. 10., 4. 18., 7. 10., 12. 19.; Judith 12. 2 (bis), 12. 12., 12. 19. In melius elaborata igitur parte tantummodo 5-ies legitur: 1. reg 14. 24. (ubi post „comederit" positum est), 2. Esdr. 7. 65., Jes. 7. 22. (ubi post „comedet" positum est), Jes. 23. 18. et exod. 32. 6. Comedere usitatissimum Hieronymi verbum factum est, quod 512-ies adhibitum est (in Tobias tantummodo 4. 17., in Judith omnino abest). In cetera tota Vulgata tantummodo 29-ies legitur (in prima parte 5-ies, in Novo Testamento 15-ies, in Psalterio 9-ies exstat). Verbum edere, quod multas similes formas atque compositum verbum edere habet, ne cum illo verbo confunderetur, ab usu omnino removebatur (in prima parte 6-ies, in secunda 22-ies, in tertia 17-ies adhibitum est).

Impersonale verbum paenitere in prioribus duabus Vulgatae partibus personaliter saepe adhibetur. In tertia quidem parte admodum non invenitur, nisi in uno e minime diligenter elaboratis libris: ludith 5. 19. Quotiescumque autem poenituerunt se recessisse a cultu Dei sui; ibid. 8. 14. et in hoc ipso poeniteamus. Amiatinus tamen codex poeniteamur praebet, quod etiam Rönsch (p. 303.) et Thielmann (Philologus, 42. p. 353.) probant.

Etiam significatione nonnullae voces in translatis a Hieronymo libris non tam vulgares, quam in omnino immutata relicta aut retractata modo Itala sunt. „Incredibilis" in translatis libris est qui credi non potest, fidem superans: Judic. 20. 5. et uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes; Esther. 2. 15. Erat enim formosa valde, et incredibili pulchritudine. In duabus vul-

garioribus Vulgatae partibus incredibilis est qui non credit: eccl. 2. 18. Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius; Bar. 1. 19. eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum; Tit. 1. 16. Confidentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, et incredibiles.

Sunt tamen multae voces vulgares, quae in tota Vulgata in locum ab optimis scriptoribus approbatarum venerint, imprimis verba iterativa, velut amplexor, quod in prima parte semel, in teria autem decies, visito in prima parte bis, in secunda 18-ies, in tertia 86-ies, quae verba verbi primarii amplector, quod tantummodo in Tit. 1. 9. legitur, et verbi viso, quod in Vulgata omnino abest, locum occupaverunt.

Verbum operor, quod, ut Wölfflin ad Liv. 21. 62. 6. refert, a Livio e Vergilie sumptum et in orationem solutam translatum, usitatissimi verbi facio locum occupaturum est. In prima enim parte 25-ies, in secunda 99-ies, in tertia etiam 106-ies legitur. Item et verbum revelo in locum probati verbi detego venit.

Verbum seminare in sermone vulgari magis usitatum quam ab optimis scriptoribus probatum serendi verbum, nam et longius est et propter in - are cadentem exitum pleniore ore profandum est. Huc accedit etiam, quod cum verbo sero, sertum, 3. confundi potest. Seminandi verbum in prima parte bis, in secunda 49-ies, in tertia 24-ies. Serendi autem verbum tantummodo in secunda parte semel et in tertia 21-ies adhibitum est. In secunda igitur Vulgatae parte cuius et nostrae apostolorum epistolae sunt, seminandi verbum saepissime legitur, serendi quidem tantummodo semel. In suis operibus tamen, quod notatu dignum est, Hieronymus probato serendi verbo multo saepius utitur.

Etiam verbum eo, praesertim brevioribus formis, vitatum est. Alii quoque sermonis vulgaris scriptores pro illo verbo uti solebant aliis, velut ambulare, se facessere, facessere, se ducere; se amoliri (Plaut.); intra limen se facere (Apul.); se reportare: Bell. Hisp. 40. 2. Lusitani, qui ex pugna superfuerunt, ad signum se receperunt et bene magna manu comparata, ad Didium se reportant. Apul. met. 1. 25. ad hospitium Milonis ac dehinc cubiculum me reporto. Etiam in Vulgata in locum illius brevis verbi venerunt alia longiora et magis sermoni vulgari adamata verba. Tota Vulgata praesenti indicativi activi admodum careret, nisi formas eo et imus haberet, quae quidem rarissimae sunt.

Eo tantummodo in Matth. 21. 30., Luc. 14. 19., imus in Matth. 13. 28., utraque igitur forma modo in Novo Testamento legitur. Abest etiam imperativus singularis i et nominativus perticipii praesentis iens. Ceterae formae forte quadam non adhiberi possunt. In eundi verbi locum imprimis verbum vado venit, quod duarum syllabarum praesentis formas format: vado, vadis, vadit, vadunt; vadam, vadas, vadat, vadant; vadam, vades, vadet, vadent; vade et vadens. Tantummodo semel invenitur vadimus: iudic. 19. 18. Profecti sumus de Bethlehem Juda, et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem; et nunc vadimus ad domum Dei. Hoc loco vadimus non e sermone communi sumptum esse videtur. Hieronymus variandi ratione illam verbi formam adhibere cogebatur, nam illud verbum praecedunt alia cognominata: profecti sumus... pergimus, ieramus.

Ea re explicandum est, qua ratione eundi verbum in linguis noviciis e lingua Latina ortis formatum sit. Eundi loco in illis linguis verbum ambulo venit, nam verbum eo admodum deperiit. Francogallice nunc ind. praes. je vais, tu vas, il va (nous allons, vous allez), ils vont; Italice vado, vel vo, vai, va (andiamo, andate), vanno; coniunct. praes. Italice ch'io vada, vada vel vadi, vada (andiamo, andiate), vadano; Francogallice modi coniunctivi prorsus verbi aller formae usurpantur: que j'aille - ambulem... Fransogallice imperativus va (allez), Italice va (andate). Linguarum noviciarum participium e verbo ambulo formandum fuit, nam vadentem, trium syllabarum forma in usu non erat: Francogallice enim participium allant, Italice andante dicitur. Futurum e lingua Latina ortarum linguarum simplicis formae vadam usu amisso cum infinitivo coniungendo formatum est: j'irai - ire habeo, andrò - ambulare habeo. E verbis ad eundi notionem exprimendam adhibitis lucet igitur etiam, quanti momenti linguae noviciae e lingua Latina ortae ad sermonem vulgarem explorandum sint.

Iam satis patefieri mihi videtur, et quantus vocum vulgarium numerus in apostolorum epistolis exstet, et quae proprietates vulgares eis subiectae sint, et quem denique locum nostrae epistolae in Litteris Sacris obtineant. Sequitur nunc, ut de ipsa ratione inquirendi in vocum proprietates vulgares aliquid dicamus. Ut in plerisque disciplinis, praesertim in iis, quae in mundi leges atque in corporum naturam inquirant, rationes, quae ex

coniectura pendent, eo similiores veri sunt, quo pluribus rebus confirmentur, ita et in apostolorum epistolarum voces vulgares inquirens eo vulgariores illas putavi, quo vulgarioris rationis aut exitus, aut usus illarum fuit.

Nom omnes tamen a nobis tractatae voces eadem ratione vulgares sunt. Nonnullae illarum etiam bona aetate aut apud poetas, aut apud alios orationis solutae scriptores leguntur. Aliae aut aliquid ante bonam aetatem, aut apud antiquissimos scriptores in usu fuerunt. Sunt praeterea voces, quae inter bonam aetatem et ecclesiasticorum tempus in conspectum venerunt, alia pars post bonam aetatem adhibitarum vocum tantummodo inde ab ecclesiasticorum scriptorum tempore usurpari coepit. Nonnullae denique voces et ante bonam aetatem et post illam in usu fuerunt, praeterea aliqua illarum etiam in linguas novicias e lingua Latina ortas transierunt, bona tamen aetate non leguntur. Illae voces non solum vulgares, sed etiam e sermone cotidiano sumptae esse videntur. Nonnulla vocabula aut propter exitum, velut in - mentum exeuntia substantiva, in - ivus adiectiva, in -ficare verba, aut propter compositionem, velut verba desuperlativa, aut propter significationem mutatam vulgaria aestimare possumus. Tamen etiam quae voces exitu vel aliqua alia ratione vulgares iudicandae sint, ex usu cognosci potest. In apostolorum epistolis adhibitorum vocabulorum usus igitur magni momenti nobis fuit ad confirmandum, quae voces et qua ratione vulgares sint.

INDEX LIBRORUM ADHIBITORUM

Bagge, Petrus. De elocutione C. Suetonii Tranquilli. Upsaliae MDCCCLXXV.

Becker, A. Concorporalis. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Dreizehnter Band. Leipzig 1904.

Biblia Sacra vulgatae editionis, Sixti V Pontifici Max. iussu recognita, et Clementis VIII auctoritate edita. Venetiis MDCCXL.

Böhmer. Die lateinische Vulgärsprache. Schulnachrichten über das Gymnasium zu Oels von Ostern 1865 bis Ostern 1866.

Bonnet, Max. Le latin de Grégoire de Tours. Paris 1890.

Diehl, Ernst. Vulgärlateinische Inschriften. Bonn 1910.

Diez, Friedrich. Grammatik der Romanischen Sprachen. Anhang. Romanische Wortschöpfung. Bonn 1875.

Doederlein, Ludwig. Lateinische Synonime und Etymologien. Erster Theil. Leipzig 1826. Zweiter Theil. Leipzig 1827.

Funck, A. Die verba auf -illare. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Vierter Jahrgang. Leipzig 1887.

Funck, A. Die Verba auf -issare und -izare. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Dritter Jahrgang. Leipzig 1886.

Funck, A. Verba auf -issare, -izare. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Vierter Jahrgang. Leipzig. 1887.

Funck, A. Noch einmal die Verba auf -issare und -izare. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Fünfter Jahrgang. Leipzig. 1888.

Funck, A. Was heisst „die Kinder“. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Siebenter Jahrgang. Leipzig 1892.

Georges, Henricus. De elocutione M. Velleii Paterculi. Lipsiae. MDCCCLXXVII.

Goelzer, Henri. Étude lexicographique et grammaticale de la latinité de Saint Jérome. Paris 1884.

Gröber, G. Vulgärlateinische Substrate romanischer Wörter. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Zweiter Jahrgang. Leipzig. 1885. Dritter Jahrgang. Leipzig 1886. Vierter Jahrgang. Leipzig. 1887. Fünfter Jahrgang. Leipzig. 1888. Siebenter Jahrgang. Leipzig. 1892.

Hellmuth, H. De sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur. Acta seminarii philologici Erlangensis. Ed. Iwanus Mueller et Eduardus Woelfflin. Volumen prius. Erlangae MDCCCLXXVIII.

Heraeus, W. Die römische Soldatensprache. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Zwölfter Band. Leipzig 1902.

Hofmann, J. B. Lateinische Umgangssprache. Heidelberg 1926.

Klotz, Reinhold. Handbuch der lateinischen Stilitsik. Leipzig 1874.

Koehler, Albr. De auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate. Acta seminarii philologici Erlangensis. Ed. Iwanus Mueller et Eduardus Woelfflin. Volumen prius. Erlangae MDCCCLXXVIII.
Köhm, Joseph. Altlateinische Forschungen. Leipzig. 1905.
Koffmane, Gustav. Entstehung und Entwicklung des Kirchenlateins. Erster Band. Breslau 1879.
Kretschmann, Henricus. De latinitate L. Apulei Madaurensis. 1865. Regimonti Pr.
Kübler, B. Die lateinische Sprache auf afrikanischen Inschriften. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Achter Jahrgang. Leipzig. 1893.
Lease, E. Zur Konstruktion von licet. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Elfter Band. Leipzig. 1900.
Löfstedt, Einar. Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae. Uppsala 1911.
Marx, Friedrich. Die Beziehungen des Altlateins zum Spätlatein. Neue Jahrbücher für das klassische Altertum, Geschichte und deutsche Literatur. 1909. Leipzig - Berlin.
Meyer, Wilhelm. Das lateinische Suffix -o, -onis. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Fünfter Jahrgang. Leipzig. 1888.
Meyer - Lübke. Grammatik der Romanischen Sprachen. Erster Band. Leipzig. 1890. Zweiter Band. Leipzig. 1894. Dritter Band. Leipzig. 1899. Vierter Band. Leipzig. 1902.
Niedermann, Max. Historische Lautlehre des Lateinischen. Zweite Auflage. Heidelberg. 1925.
Norden, Eduard. Die antike Kunstprosa. Erster Band. Leipzig - Berlin, 1923.
Paucker, C. Beiträge zur Lateinischen Lexikographie und Wortbildungsgeschichte. I.-III. (Mélanges Gréco-Romains de l'Académie Impériale des Sciences de St. Pétersbourg, tome III. p. 459-545 et 599-687). 1873-1874.
Paucker, C. De latinitate B. Hieronymi. Berolini. MDCCCLXXX.
Paucker, C. De latinitate scriptorum historiae Augustae. Dorpati. MDCCCLXX.
Paucker, C. Die Deminutive mit dem Suffix -c-ulus, a, um. Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien. Siebenundzwanzigster Jahrgang. Wien. 1876.
Paucker, Carolus. Spicilegium Addendorum Lexicis Latinis. Mitaviae. 1875.
Ploen, Heinrich. Abominabilis bis abortus. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. 5. Jahrgang. 1888.
Rebling. O. Versuch einer Charakteristik der römischen Umgangssprache. Kiel. 1873.
Rönsch, Hermann. Collectanea philologa. Bremen. 1891.
Rönsch, Hermann. Itala und Vulgata. Zweite Ausgabe. Marburg. 1875.

Rönsch, Hermann. Semasiologische Beiträge zum lat. Wörterbuch. Leipzig. 1887.

Saalfeld, G. A. De Bibliorum sacrorum Vulgatae editionis graecitate. Quedlinburgi. MDCCCXCI.

Saalfeld, G. A. Die Lautgesetze der Griechischen Lehnwörter im Lateinischen nebst Hauptkriterien der Entlehnung. Leipzig. 1884.

Schönwerth - Weyman. Über die lateinischen Adiektiva auf -osus. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Fünfter Jahrgang. Leipzig. 1888.

Soden, Hermann. Die Schriften des Neuen Testaments in ihrer ältesten erreichbaren Textgestalt. Text und Apparat. Göttingen. 1913.

Stolz, Fr. Historische Grammatik der lateinischen Sprache. Erster Band. Erste Hälfte. Leipzig. 1894. Erster Band. Zweite Hälfte. Leipzig. 1895.

Szuppan, Sigismund. Programm des fürsterzbischöflichen Ober-Gymnasiums zu Tirnau. De sermonis Latini usu quotidiano. Tirnau. 1858.

Teeuwen, St. W. J. Sprachlicher Bedeutungswandel bei Tertullian. Paderborn. 1926.

Thielmann. Ph. Ueber die Benutzung der Vulgata zu sprachlichen Untersuchungen. Philologus. Zweiundvierzigster Band. Goetingen, 1883.

Weinhold, A. Genuswechsel der Deminutiva. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Vierter Jahrgang. Leipzig. 1887.

Wölfflin, Ed. Abolefacio bis abolla. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Fünfter Jahrgang. Leipzig. 1888.

Wölfflin, Ed. Accendium bis acceptus. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Achter Jahrgang. Leipzig. 1893.

Wölfflin, Ed. Bemerkungen über das Vulgärlatein. Philologus. Vierunddreissigster Band. Göttingen. MDCCCLXXVI.

Wölfflin, Ed. Die verba desuperlativa. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Zweiter Jahrgang. Leipzig. 1885.

Wölfflin, Ed. Die Verba frequentativa und intensiva. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Vierter Jahrgang. Leipzig. 1887.

Wölfflin, Ed. Salvator. Salvare. Mediator. Mediare. Mediante. Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik. Ed. Wölfflin. Achter Jahrgang. Leipzig. 1893.

Wölfflin, Eduard. Titi Livi ab urbe condita liber 21. Leipzig-Berlin. 1914.

Praeterea magno usui mihi fuerunt lexica et nonnullae ecclesiasticorum operum editiones, quibus insolitiorum verborum indices additi sunt. Praecipue magni momenti illi indices fuerunt ad definiendum tempus, quosque pateat usus verborum, quae in Thesauro Linguae Latinae nondum relata sunt.

Alcimii Ecdicii Aviti Viennensis episcopi opera quae supersunt recensuit Rudolfus Reiger. Berolini. MDCCCLXXXIII.

Cassiodori Senatoris Variae. Recensuit Theodorus Mommsen. Berolini. MDCCCXCIV.

Fortunati Venantii Honori Clementiani Presbyteri Italici opera poetica. Recensuit et emendavit Fridericus Leo. Berolini. MDCCCLXXXI.

Jenkins Edgar B. Index verborum Terentianus. Chapel Hill the university of North Carolina Press. 1932.

Krebs, J. Ph. Antibarbarus der lateinischen Sprache. Basel. 1905. (I-II-. B.).

Lessing, Carolus. Scriptorum historiae Augustae Lexicon. Lipsiae. 1901-1906.

Merguet, H. Handlexikon zu Cicero. Leipzig, 1905.

Merguet, H. Lexikon zu den philosophischen Schriften Cicero's. Jena. I. Bd. 1887; II. 1892; III. 1894.

Merguet, H. Lexikon zu den Reden des Cicero. Jena. I. Bd. 1877; II. 1880; III. 1882; IV. 1884.

Meusel, H. Lexikon Caesarianum. Berolini. Volumen I. MDCCCLXXXVII; vol. II. MDCCCXCIII.

Quicherat, L. et Daveluy, A. Dictionnaire latin-français. Paris. 1889.

Quicherat, L. Thesaurus poeticus linguae Latinae. Paris. 1878.

Segebade, Joannes et Lommatzsch, Ernestus: Lexicon Petronianum. Lipsiae MDCCCXCVIII.

Thesaurus Linguae Latinae.

Totius Latinitatis Lexicon.

Totius Latinitatis Onomasticon.

Waltzing, J. P. Lexicon Minucianum. Liège-Paris. 1909.

Weise, Carolus Herm. Lexicon Plautinum. Quedlinburgi et Lipsiae. MDCCCXXXVIII.